DE AUSONIANIS STUDIIS POETARUM GRAECORUM.

DISSERTATIO INAUGURALIS
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE CHRISTIANA ALBERTINA
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
UNA CUM THESIBUS
DIE XV MENS. MARTII AI. MDCCCLXXXVI HORA XII
PUBLICE DEFENDET

FERDINAND STAHL
LUBECENSIS.

ADVERSARII ERUNT
ARTHUR ZERDIK DR. PHIL.
RICHARD SCHMIDT DD. PHIL.
CHRISTIAN HARDER CAND. PHIL.

KILIAE
EX OFFICINA C. F. MOHR.
1886.

Imprimatur:
A. Stimming
h. t. prodecanus.

Richardo Foerstero.

De Ausonianis studiis poetarum Graecorum scripturo pauca mihi praemonenda videntur, quibus exponam, qualis in eo fuerit linguae Graecae notitia. Atque hoc quidem non modo e vestigiis Graecis sermoni eius impressis apparebit, sed etiam ex eis quae ipse nobiscum communicat de eruditione atque studiis suis, quae uno obtutu contemplari ex usu fore spero.

Eis igitur nasci videmus nostrum auspiciis, quibus vix invenias studiis Graecis faustiora: patrem scilicet Iulium Graece loqui solitum esse dicit XI 2 9–10

sermone impromptus Latio, verum Attica lingua
suffecit culti vocibus eloquii.

Sed quominus his auspiciis responderet eventus, impedivit quod a prima infantia traditus est Arborio avunculo. Hic, „frater genetricis“ (XV 5 7) erat rhetor Latinus (XV 5 13–14).

(Tolosa) ornasti cuius Latio sermone tribunal.

Senex eum Ausonius versibus celebrat reverentia atque pietate redundantibus (XV 5). Quanto putabimus puerum amore in eum fuisse accensum,

qui se lactantem puerum iuvenemque virumque
artibus ornaret, quas didicisse iuvat

(l. l. 9–10).

Nec modo litteris ille adulescentem videtur imbuisse, sed etiam primis eius poetandi conaminibus dux atque rector extitisse, cf. XV 5 24

haec tibi de Musis carmina libo tuis.

Itaque huius auctoritate videtur factum esse ut Ausonius puer multo acrius incumberet in linguae vernaculae studium quam Graecae.

Ex ipsius sera confessione concludere possumus, quanto magis eum allexerint grammatici rhetoresque Latini quam Graeci; docuerunt Romulus, Corinthius, Menestheus grammatici Graeci, neque illorum culpa factum est quod dicit XVI 9_{10-12}

primis docuere in annis
ne forem vocum rudis aut loquendi
set sine cultu,

quamquam ne hoc quidem pro certo ponere licet, quod minus serio addit (l. l. $_{13-14}$)

obstitit nostrae quia credo mentis
tardior sensus.

Vera causa latet in versibus seqq.:

neque disciplinis
appulit Graecis puerilis aevi
noxius error,

errorem videlicet appellat Latii illud sermonis peculiare studium ab avunculo excitum, quo Graeca Latinis longe posthabere consuerat.

Primitiae institutionis Graecae quae tum fuerint, ipse tradit in libro protreptico ad nepotem dato XIII $_{45}$ seqq.

prima monebo
conditor Iliados et amabilis orsa Menandri
evolvenda tibi,

nec non certiores fimus de eiusdem methodo (v. 47 seqq.).

Noxius autem ille error, quem ipse puerilis aevi dicit, adeo vestigia reliquit nulla, ut obiter Ausoniana inspicienti frequentissime Graeca ante oculos versentur; nec desunt quibus iudicemus quanta in nostro fuerit linguae Graecae peritia. Illud ipsum quod errorem dicit noxium, quantum postea inde dolorem sumpserit ostendit; hic illic summa cum reverentia de Graecorum litteris loquitur (cf. XVI 3_9, XIX $_{89-81}$, XVI 14_4). Quid mirum si non sequitur „scientissimos veterum et Graeca vocabula fastidientes" (E XXI 1_5), immo vero magnopere sibi videtur placere graecissando. Nam saepissime terminationes Graecas retinet [1]), Graeca vocabula ante

[1]) V. ind. editionis Schenkelianae et Köppel, Grammatisches aus Auson, Progr. Aschaffenb. 1878 p. 2—21.

eum a nullo usurpata in vernaculum sermonem inducit [1]) vel si hoc non videntur pati posse Graecis litteris exarata Latinis admiscet, velut *αἰσχροσεμνίαν* (XXVIII 4 $_{15}$), *ἀμουσότερος, ον* (XVIII 1 $_{8}$, XXVI 1 $_{5}$), *αὔλακα* (E. X $_{10}$), *ἰσοσκελῆ, ἰσόπλευρα, ὀρθογώνια, σκαληνά* (XXVIII 1 $_{28-29}$), *κατεναντία προῖκα* (E. X $_{40-41}$) etc. Etiam Graecorum verborum profert lusus satis audaces, velut „glossa" sensu dubio (e. 78 $_{2}$), *κύσθος κόστος* (e. 74 $_{5}$), *λίθος λιτός* (e. 32) *Theon θεὸς* et *θέων* (E. VI $_{5}$).

Iactat graecae linguae notitiam proferenda verborum graecorum origine aut significatione, velut „Ephemeris id est totius diei negotium" (IV l.), „epitaphia, sc. titulos sepulcrales" (XVII 1 $_{1}$). — „libello Technopaegnii nomen dedi ne aut ludum laboranti aut artem crederes defuisse ludenti" (XXVII 1 $_{9}$); „epicedion — titulus a Graecis auctoribus" (XI $_{12}$);

Grais schola nomine dictast
iusta laboriferis tribuantur ut otia Musis;

(XIII 2 $_{6}$),

congrege volgo
nomen platöas perdere; (E X $_{22}$).

Idem facit in nominibus propriis: „Hippolytos — Protesilaos, quod prima victima futurus eras — Idmona quod vatem, medicum quod Iapyga dicunt, Meroe" (e. 19),

Fatale ascriptum nomen mihi Protesilao

(XVII 13 $_{1}$), Philomusus (e. 40).

Gravissima vero sunt, quae Ausonius ipse Graece scripsit; una cum latinis graeca leguntur in E. XIV, e. 28, e. 33, e. 77, e. 37; suum occupat locum E. XII mixobarbaron; mere Graeca sunt E. XIII, e. 31, e. 32, e. 90, brevia illa quidem, sed quae optime demonstrent, quam bene et expedite noster Graeco sermone usus sit.

Neque parva bibliotheca Graeca gloriatur adversus Paulum, quem apud se inventurum esse dicit (E. XIV $_{15-33}$)

ἐπέων πολυμορφέα πληθύν
γραμματικῶν τε πλοκὰς καὶ λογοδαιδαλίην,

---

[1]) V. ind. Schenkelii et Meurer de Dec. Magni Ausonii genere dicendi, Monast. 1873. p. 10—12.

δάκτυλον ἡρῷον καὶ ἀοιδοπόλων χορίαμβον
  σὺν Θαλίης κώμῳ σύρματα Τερψιχόρης,
σωταδικόν τε κίναιδον ἰωνικὸν ἀμφοτέρωθεν,
  ῥυθμῶν Πινδαρικῶν ἔννομον εὐεπίην,
εἰλιπόδην σκάζοντα καὶ οὐ σκάζοντα τρίμετρον
  ὀκτὼ Θουκυδίδου, ἐννέα Ἡροδότου,
ῥητορικῶν θέλγμα, σοφῶν ἐρικυδέα φῦλα.

De poetis infra sermo erit; pedestres scriptores praeter Herodotum et Thucydidem aliis locis nominat Isocratem (E XVII 13), Platonem (XXI 2 69, XXVI 1 10, XVI 27 5) „Platonis Symposion composita in ephebos epyllia continere“ (XXVIII 4 10), Xenophontem (Cyri institutionem VIII 15 6).

Locos annotat in indice Schenkelius Herodoti, Luciani, Plutarchi; sedulo inquirentibus forsitan plures reperiantur.

Itaque cum Ausonium in Graecorum litteris et lingua multifariam videamus versatum, de poëtarum Graecorum studiis similiter iudicare in promptu est; verum tamen longe aliud est ex operibus vestigia eorum conquirere. Nam quae nobis restant seram editionem recensionemque passa sunt ipsius poetae; insuper maior pars auctorem habet admodum aetate provectum. Atqui ipse sibi est conscius, quam multa tam longo tempore in oblivionem ceciderint, cf. XIII 51–55:

ecquando ista meae contingent dona senectae?
quando oblita mihi tot carmina totque per aevum
conexa historiae, soccos aulaeaque regum
et melicos lyricosque modos profando novabis
obductosque seni facies puerascere sensus?

Per se etiam patet non omnium eorum scriptorum quos legerit vestigia apud eum reperiri necesse esse, cum alii magis, alii minus eum allexerint, multi vero ab ipsius scriptis tam longe recedant materia, ut eos quidem exprimendi uix relicta videatur occasio. Itaque cum mihi sit propositum ut eruam, qui poetae Graeci Ausonianis vestigia impresserint, video ostendi posse non tam quos omnino legerit quam quibus maxime studuerit, et quemadmodum quae apud illos invenisset in suum usum verterit. Quod quo planius intellegatur ita ordinem instituo, ut gravissimum quodque locum editissimum

obtineat et ut quibus nituntur quae de Ausonii arte vertendi prolaturus sum, haec ipsi illi (sc. extremo) huius disputatiunculae capiti sint proxima.

Lyricorum locos raro inveniri consentaneum est cum et illi tam mutili ad nostram aetatem pervenerint neque ita multa Ausonius reliquerit poemata lyrica.

Novem lyricos dicit e. 33_{8} (Sappho) *εἰμ' ἐνάτη λυρικῶν* et XXVI 2 $_{30}$ „et lyrici vates numero sunt Mnemosynarum". Qui fuerint illi novem, apparet ex epigrammate A. P. IX 571, unde Aus. e. 33 fluxisse infra demonstrabo, scilicet Stesichorus, Alcman, Bacchylides, Anacreon, Simonides, Ibycus, Alcaeus, Sappho, Pindarus.

Cum A n a c r e o n t i c i s 15 et 16 (Bergk) comparantur Aus. XXV 6—7. Sed similitudo tam levis est ut non audeam locum pro certo ponere, praesertim cum Speck (Quaestt. Aus., Vratisl. 1874 p. 26) Aus. XXV 6_{5-6} ad Verg. Aen. XII. 68—69, XXV 7_{8} ad Verg. Georg. IV $_{177}$ revocarit.

S i m o n i d i s semel facit mentionem

Aus. XVI 14_{6}

carminibus quae prima tuis sunt condita in annis
concedit Cei musa Simonidei;

locos ipsos eius non inveni.

Item I b y c u m commemorat tantum XXVII 9_{12}

Ibycus ut periit, index fuit altivolans grus.

S a p p h o n i s nomen saepius legitur

Aus. e. 33

Lesbia Pieriis Sappho soror addita Musis.

ex A. P. IX 571.

Aus. e. 95_{12-13} et XXIV $_{24}$ v. p. 9.

De metro Sapphico:

Aus. IV 1_{22}

fors et haec somnum tibi cantilena
Sapphico suadet modulata versu.
Lesbiae depelle modum quietis,
acer iambe.

Aus. E. IV 91

sunt et (hendecasyllabi) quos generat puella Sappho
quos primus regit hippius secundus
ut cludat choriambon antibacchus.

Hoc quidem suppeditabat quivis rei metricae scriptor. Locos ipsos non inveni, nisi forte quis suadente metro

Aus. IV 1—2

Mane iam clarum reserat fenestras,
iam strepit n i d i s v i g i l a x h i r u n d o.

comparare vult cum mutilo Sapphonis fr. 88 (Bergk)

Τί με Πανδίονις ὠράνᾳ (?) χελίδων

(cf. Hesychii: *ὠράνα· χελιδόνων ὀροφή*).

Unum P i n d a r u m laudat noster XX 163—4

Milesius sum Thales, aquam qui principem
rebus creandis dixi ut vates Pindarus

Pind. Ol. I 1

Ἄριστον μὲν ὕδωρ.

Sed hoc dictum adeo in proverbium abiit, ut nil certi hoc loco efficiatur; gravius videtur quod etiam in scholiis ad Ol. I 1 Thaletis dictum cum hoc coniungitur: *ἀρχὴ γὰρ τῶν ὅλων κατὰ Θαλῆν τὸ ὕδωρ.*

Cui argumento si quis fidem habeat, etiam

Aus. XXVII 94

periurum Lapitham Iunonia ludificat nubs

revocare liceat ad Pind. Pyth. II, 33 sqq.

Accedit quod in epistola XIV Paulo pollicetur inventurum eum apud se et alios libros et

ῥυθμῶν Πινδαρικῶν ἔννομον εὐεπίην,

quae verba vix habemus quod meram gloriationem putemus esse.

Itaque e toto numero unum Pindarum in manibus nostri fuisse cum aliqua veri specie asserere possumus, de ceteris non item.

P o e t a r u m g n o m i c o r u m unus locus legitur P y t h a g o r a e, quod ferunt, c a r m i n i s a u r e i vv. 40—43:

Μηδ' ὕπνον μαλακοῖσιν ἐπ' ὄμμασι προςδέξασθαι,
Πρὶν τῶν ἡμερινῶν ἔργων τρὶς ἕκαστον ἐπελθεῖν·
Πῆ παρέβην; τί δ' ἔρεξα; τί μοι δέον οὐκ ἐτελέσθη;

Ἀρξάμενος δ' ἀπὸ πρώτου ἐπέξιθι καὶ μετέπειτα
Δειλὰ μὲν ἐκπρήξας ἐπιπλήσσεο, χρηστὰ δὲ τέρπου.

Cf. Aus. de viro bono XXX $_{14-16}$

non prius in dulcem declinans lumina somnum
omnia quam longi reputaverit acta diei:
quae praetergressus, quid gestum in tempore, quid non?

etc.: v. 23

sic dicta et facta per omnia
ingrediens ortoque a vespere cuncta revolvens
offensus pravis dat palmam et praemia rectis.

Subiungo Solonem, cuius vestigium legitur XXVII 5_{1-2}

Indicat in pueris septennia prima novus dens,
pubentes annos robustior anticipat vox

Sol. 27_1 (Bergk)

Παῖς μὲν ἄνηβος ἐὼν ἔτι νήπιος ἕρκος ὀδόντων
φύσας ἐκβάλλει πρῶτον ἐν ἑπτ' ἔτεσιν.

Sed potius credam hoc petitum esse e Censorino de die nat. XIV 7: „ut in elegia Solonis datur: ait enim in prima hebdomade dentes homini cadere, in secunda pubem apparere, tamen in II. hebdomade vel incipiente tertia vocem crassiorem fieri".

Censorini locos Schenkl in editione complures annotat ad Aus. XXXV; cf. etiam quae infra in Hesiodo et in thesi I. allaturus sum.

De scenicis poetis non multo certiora statuere licet; tragicos ne nominat quidem, loci perpauci sunt fabularum, quas illi tractaverunt, dubii ideo quod plerumque incertum est utrum ex ipsis an aliunde fluxerint; eos vero locos prorsus omittendos esse censui, qui potius ad Vergilium Ovidium Statium revocandi videantur.

Sphingis aenigma exprimit XXVI $_{38-41}$, sed hoc nimis vulgatum est, ut non audeam argumenta Eur. Phoen. vel Soph. Oed. Tyr. pro fontibus ponere.

Sophoclis unum locum dubitanter annotat Schenkl:

Aus. IV 7_{10-11}

infandas etiam veneres incestaque noctis
dedecora et tragicos patimur per somnia coetus

Soph. Oed. R. 981

πολλοὶ γὰρ ἤδη κἀν ὀνείρασιν βροτῶν
μητρὶ ξυνευνάσθησαν [1])

Ex Euripide quae annotavi, quamvis sint dubia, reticere nolo:

Aus. XXVII 9 5

ludit et Aeaciden Parnasia Delphicolae sors.

Aus. XVII 10

impius ante aras quem fraude peremit Orestes,

cf. Eur. Andromache 1085 seqq.

Aus. XVII 10 (Pyrrho)

Orbe tegor medio,

cf. ibid. 1210—14.

Aus. XVII 16 3

Astyanax Scaeis deiectus ab altis,

cf. Eur. Androm. 10

ῥιφθέντα πύργων Ἀστυάνακτ᾽ ἀπ᾽ ὀρθίων

(sed cf. quae Schenkl e Senecae Troadd. ad hunc locum attulit).

Vides quam debilia sint cuncta et obscura. Paullo certius de comicis statuere licet; namque Menander quidem ab eo bis terve nominatur, ni fallor etiam exprimitur.

Aus. XXVIII 4 11 quid Euenum [2]) quem Menander sapientem vocavit? quid ipsum Menandrum?

Aus. XIII 45

prima monebo:
conditor Iliados et amabilis orsa Menandri
evolvenda tibi.

Locos inveni hosce:

Aus. XX 138 seqq.

Γνῶθι σεαυτόν

labor molestus iste fructi est optimi

---

[1]) Cf. Plat. Polit. IX 571 (Foerster Mus. Rhen. 40 631).

[2]) Lascivorum carminum poetam dici apparet. Hic Bergk errorem delitescere putat P. L. G. II 397: „Ausonius Menandri laudem, quae pertinebat ad alterutrum Pariorum elegiographorum, temere transtulit ad alium Euenum eroticorum auctorem qui post Menandri aetatem vixit.“ — Quid si noster Euenum nisi e Menandro omnino non noverat?

quid ferre possis, quidve non, dinoscere
noctu diuque, quae geras, quae gesseris
ad usque puncti tenuis instar quaerere,

cf. Menandri *Κωνειαζόμεναι* fr. II (Mein. IV 156)

Τὸ γνῶθι σεαυτόν ἐστιν ἂν τὰ πράγματα
ἴδῃς τὰ σαυτοῦ καὶ τί σοι ποιητέον.

Aus. e. 81 1–6

Sit mihi talis amica velim,
iurgia quae temere incipiat
nec studeat quasi casta loqui,
pulchra procax petulante manu
verbera quae ferat et regerat
caesaque ad oscula confugiat.

cf. Men. Thaid. fr. I (Mein. IV p. 131).

Ἐμοὶ μὲν ἄειδε τοιαύτην θεά
θρασεῖαν ὡραίαν δὲ καὶ πιθανὴν ἅμα
ἀδικοῦσαν, ἀποκλείουσαν, αἰτοῦσαν πυκνά,
μηδενὸς ἐρῶσαν, προςποιουμένην δ' ἀεί.

Aus. e. 11 3

Sum dea quae raro et paucis occasio nota:

in exemplari eius epigrammatis A. P. XVI 275 tantum: *Καιρὸς ὁ πανδαμάτωρ. Καιρὸν* deum a Menandro appellatum esse Palladas testis est A. P. X 52

Εὖ γε λέγων τὸν Καιρὸν ἔφης θεόν, εὖ γε Μένανδρε,

(Men. fab. inc., fr. 500, Mein. IV 331), quod ipsum epigramma Ausonio poterat esse notum. [1])

Fabula illa de Sapphone et Phaone item e Menandro ei innotuisse videtur, cf. Men. Leuc. fr. I (Meineke IV 158) 2–4

τὸν ὑπέρκομπον θηρῶσα Φάων'
οἰστρῶντι πόθῳ ῥῖψαι πέτρας
ἀπὸ τηλεφανοῦς,

cf. Aus. e. 95 13 „fastidita Phaoni" et XXIV 24

et de nimboso saltum Leucate minatur.

Aus. XXV 3 5 seqq.

---

[1]) De Palladae aetate v. infra.

utque Cratinus
admoneo ante bibas,
ieiunis nil scribo,

(cf. etiam Aus. XXVI 1 $_{21}$ namque iniurium est de poeta male sobrio lectorem abstemium iudicare) neque congruit cum Hor. Ep. I 19 $_{1-3}$ neque cum epigr. A. P. XIII 29 *Νικαινέτου*

Οἰνός τοι χαρίεντι πέλει ταχὺς ἵππος ἀοιδῷ
ὕδωρ δὲ πίνων οὐδὲν ἂν τέκοις σοφόν.
Τοῦτ' ἔλεγεν . . .
Κρατῖνος . . . . .

Locus a Dezeimeri correctus est, codices habent pro „utque Cratinus" „aut Erasinus."

Aus. XIII 1 $_{14}$

ὡς παῖδες οἱ γέροντες

= Aristoph. Nub. 1417 adeo proverbium sapit [1]), ut non audeam Aristophanis vestigium ponere, praesertim cum alibi invenerim nullum.

Itaque de poetis scenicis unum Menandrum inter auctores Ausonii ponere licet.

Venio ad poetas epicos, e quibus Homerus, quippe qui in scholis legeretur, nostro et discenti et docenti in manibus fuerit necesse est. Nomen Homeri saepiuscule legimus, e. g. e. 1 $_{17}$, E. XVIII $_{13}$, XVI 22 $_{17}$, XX $_{11}$, VIII 4 $_{19}$: Homerici oratores, ib. 13 $_{59}$: Homericos versus.

Smyrnam patriam eius dicit XVIII $_{375}$

quod si tibi dia Mosella
Smyrna suum vatem vel Mantua clara dedisset

Opera: XVII 6 $_{8}$ Odyssean, XIII 2 $_{46}$ conditor Iliados.

Grammaticos qui in studiis Homericis versati sint nominat Cratetem Mallotam, Zenodotum, Aristarchum neque male de eorum studiis Homericis se praebet eruditum cf. E. XVIII $_{28-30}$, XX $_{12-13}$, XVI 14 $_{3}$.

---

[1]) Cf. scholl. Aristoph. Nub. 1417.

Hisce studii Homerici indiciis uberrimis respondet satis magnus numerus verborum Graecorum epici ut ita dicam coloris, velut in E. XII ἀφραδίῃσιν (4) πέλει (9) μητιόωντες (10) ἀοιδῆς (12) μολπή (15) θυμαλγέα λέσχην (24, cf. θυμαλγέα λώβην Il. IX 387) ἔπλετο (29) ἀπάλαμνος ἀνήρ (33, cf. Il. V 597 ἀν. ἀπ.) ἔσσεται (36) alia; sed talia non ad solum Homerum referri debent, cum et apud alios legantur et praesertim in eadem epistula duo vel tria Theocriti vestigia reperiantur satis certa. Eiusdem generis sunt E. XIV 31 εἰλιπόδην 33 σοφῶν ἐρικυδέα φῦλα (cf. Il. III 65 XV 265 θεῶν ἐρικυδέα δῶρα), e. 21 2 ἐνὶ ζωοῖσιν, ἐνὶ φθιμένοισιν (cf. infra de Theocrito) alia.

Fabulae raro constat utrum ex ipso Homero an e posterioribus fluxerint, immo saepiuscule Vergilium Ovidium aliosve sapiunt Latinos, velut E. XI 8, XXIV 84—85, XXVII 37 (Venus cum Marte deprensa) non tam Od. VIII 267 seqq. quam Ov. Metam. IV 167 seqq. olent; IV 724 seqq. melius ad Verg. Aen. VI 893 seqq. quam ad Od. XIX 562 refertur. Etiam quae E. IV 49 de raptu Proserpinae leguntur, minus cum hymno Homerico quam cum Ov. Met. V 385 seqq. congruunt; certo E. XXIV 70 seqq. non ex Homero, sed e Ciceronis Tuscul. III 26 63, item Ep. IX 14—15 ex Hor. Ep. I 2 28—29 petita sunt.

A ceteris segreganda videntur ea vestigia quae in epigrammatis sepulcralibus XVII 2—27 inveniuntur. Imitationes illae sunt epigrammatum pepli Aristotelei qui cum non servatus sit integer, non semper dubitatione exemptum est, quid apud auctorem noster invenerit, quid ipse addiderit. Loci sunt fere hi:

Aus. XVII 8 (Antilocho)

carus et Atrideis, carus et Aeacidis
consiliis belloque bonus

cf. Il. 23 556 570 305 522 etc.

Aus. XVII 17 (Sarpedon)

sanguineis fletus lacrimis

Il XVI 459

αἱματοέσσας δὲ ψιάδας κατέχευεν ἔραζε.

Aus XVII 7

genitore bono melior Diomedes

Il IV 405

ἡμεῖς τοι πατέρων μέγ' ἀμείνονες εὐχόμεθ' εἶναι cf. 371—5.

Aus. XVII 23

Ennomus hic Chromiusque iacent quis Mysia regnum

cf. Il. II 858

Μυσῶν δὲ Χρόμις ἦρχε καὶ Ἔννομος οἰωνιστής.

Aus. XVII 2

Quid prodest Helenes raptum punisse dolentem

Il II 590

τίσασθαι Ἑλένης ὁρμήματά τε στοναχάς τε.

Aus. XVII 11

cui communis erat cum Diomede domus
et Sthenelo, Euryalum

cf. Il II 563 seqq.

Aus. XVII 8

Troia capi sine quo perfida non poterat

fortasse referendum est ad Il II 371–5.

Tum sunt loci quibus res apud Homerum narratae ita perstringuntur, ut e memoria videantur promptae, velut

E. XXV 107–8

si tendi facilis cuiquam fuit arcus Ulixi
aut praeter dominum vibrabilis ornus Achillei,

cf. Od. XXI 91 Il. XVI 141 seqq.

Aus. XVI 167–8

te fabulantem non Ulixes linqueret
liquit canentes qui melodas virgines,

cf. Od. XII 184 seqq.

Aus XXVII 118

quid praeter nubem Phaeacibus impositum? mons,

cf. Od. VIII 562 XIII 163.

Verum hi loci tam vulgatas res tractant ut fere extiterint communes. Maioris momenti quippe qui complures versus continuos exprimant, hi loci videntur:

Aus. VIII 1359

Il. VII 74–179 passim,

Aus. VIII 419

„Homerici oratores, subtilis deducta oratione Menelaus et instar

profundae grandinis ductor Ithacensius et melleo delibutus eloquio iam tertiae Nestor aetatis."

Il III$_{213,\ 221-3}$ et I$_{248-9}$;
item Aus. XVI 22$_{16-24}$ et E. XVI 2$_{10-14}$.

Grandinis imago ad celeritatem sermonis adaptata legitur etiam e. 114.

Nestorem senem invenimus etiam e 18$_{5}$, VIII$_{19-20}$, XXVI 2$_{11}$; locus satis communis fluxit ex Il. I$_{250-2}$.

Annecto versus vel integros vel ex parte ab Ausonio expressos:

Aus. E. XII$_{40}$

Δημήτερος ἀγλαοκάρπου

= Hymn. Hom. IV$_{4}$ *Δήμητρος — ἀγλαοκάρπου.*

Aus. E. XII$_{41}$

ἔνθα σύες θαλεροί

Od. VIII$_{475}$

καρχαρόδοντος ὑός, θαλερὴ δ' ἦν ἀμφὶς ἀλοιφή.

Aus. E. XII$_{19}$

οὐ γάρ μοι θέμις ἐστίν

Od. X$_{73}$

οὐ γάρ μοι θέμις ἐστίν.

Aus. XVII 18$_{1}$

Nastes Amphimachusque Nomionis inclita proles

Il. II$_{571}$

Νάστης Ἀμφίμαχός τε Νομίονος ἀγλαὰ τέκνα.

Hesiodi nomen apud Ausonium invenimus in lemmate XXXII, variant codices partim „Hesiodus de aetate animantium," partim „de a. a. Hesiodion" vel „ex Hesiodo" praebentes. Idem laudatur E. XVI 2$_{29}$ „convincit Ascraeum senem". Ita iam ab Ovidio (A. a. II$_{4}$) et Vergilio (E. VI$_{70}$) appellatur.

Aus. E. XVI 2$_{27}$ seqq.

generi hic superstes aureo
satorque prolis aureae
convincit Ascraeum senem
non esse saeclum ferreum.

resp. Hes. Op. et dies 174 seqq., inprimis 176

νῦν γὰρ δὴ γένος ἐστὶ σιδήρεον,

182 οὐδὲ πατὴρ παίδεσσιν ὁμοίιος οὐδέ τι παῖδες
184 οὐδὲ κασίγνητος φίλος ἔσσεται ὡς τὸ πάρος περ.

Minus certus alter locus Aus. XIII 2$_{71}$

mox pueros —
pellexi ut mites peterent per acerba profectus.

Op. et di. 290 seqq.

— μακρὸς δὲ καὶ ὄρθιος οἶμος ἐς αὐτὴν
καὶ τρηχὺς τοπρῶτον. ἐπὴν δ' εἰς ἄκρον ἵκηται,
ῥηϊδίη δὴ ἔπειτα πέλει, χαλεπή περ ἐοῦσα.

Theogoniae indicia non tam aperta sunt. Consentit sane noster cum Hesiodi theogonia multis rebus, tamen hic quoque valde dubium utrum ex ipso desumpserit an ex Hygino aliisve earum rerum scriptoribus latinis. Tamen quaedam non piget ponere.

Aus. XXVI 2$_{7}$

tris Ope progeniti fratres, tris ordine partae
Vesta Ceres et Juno — sorores

cf. Hes. Theog. 454 seqq.

Aus. XXVII 9$_{8}$

quo generata Venus Saturnia desecuit falx.

Aus. e. 34$_{1}$

Orta salo, suscepta salo, patre edita Caelo

cf. Hes. Th. 173—200.

Aus. E. XII$_{13}$

Μνημοσύνης κρηδεμνοκόμου πολυcantica τέκνα.

E. IV$_{64}$

Mnemosynes natas

XXVI$_{30}$

et lyrici vates numero sunt Mnemosynarum

cf. Hes. Th. 53 et 915; sed hic locus satis communis.

Restat Hesiodion de aetate animantium, Hes. fragm. 163 (Göttl.)

Ἐννέα τοι ζώει γενεὰς λακέρυζα κορώνη
ἀνδρῶν γηρώντων. ἔλαφος δέ τε τετρακόρωνος.
τρεῖς δ' ἐλάφους ὁ κόραξ γηράσκεται. αὐταρ ὁ φοῖνιξ
ἐννέα τοὺς κόρακας. δέκα δ' ἡμεῖς τοὺς φοίνικας,
νύμφαι ἐϋπλόκαμοι, κοῦραι Διὸς αἰγιόχοιο.

Hoc Ausonius XXXII$_{3-8}$ paene ad verbum expressit, ultro

adiecit vv. 9—17 [1]). Graeca leguntur apud Plutarchum de or. def. 11, ex quo si quis nostrum ut alia (v. ind. ed. Schenkl.) ita haec quoque hausisse velit, nil contra dicam, nisi quod apud illum „iusta senescentum vita virorum“ est annorum centum et octo, apud nostrum nonaginta sex.

Indidem pendet Aus. XXVI 2_{12-17}.

Panyassidis locum admodum dubitanter profero, non quo negem Ausonium eum novisse posse [2]), sed quod lectiones codicum Ausonianorum gravissime laborant, atque adhuc inter viros doctos de textu restituendo disceptatur. Namque si cum Schenkelio legimus Aus E. XII_{38}

σὺν φιάλῃ vinoque, *ἐτεῶν συνοπάονι μουσῶν*

non male convenit cum Panyassidis fr. 12 (Kinkel) v. 12—13

οἶνος γὰρ πυρὶ ἶσον ἐπιχθονίοισιν ὄνειαρ
ἐσθλὸν ἀλεξίκακον πάσης συνοπηδὸν ἀοιδῆς,

quamquam locus satis videtur communis; contra si cum Wilamowitzio (Herm. 19 p. 461)

σὺν φίλῳ aequaevoque *τεῶν συνοπάονι μουσῶν*

omnis evanescit similitudo.

Venio ad poetas Alexandrinos, e quibus quamquam nominat nullum, tamen sunt qui Ausonio vestigia impresserint. Liceat etiam ponere Aus. E. XIV_{29}

σωταδικόν τε κίναιδον, ἰωνικὸν ἀμφοτέρωθεν

quem versum de poesi eius generis Alexandrina intellegere haud absonum est. Callimachi nil inveni, credo quia tam pauca aetatem tulerunt, neque eorum quidem quos Meineke in anall. Alexandrinis collegit, ullum indicium repperi. Item Nicandri et Lycophronis opera frustra perscrutatus sum, quod in tanta materiae longinquitate haud mirum.

---

[1]) cf. Cens. de die nat. XVIII_{11}: est praeterea annus, quem Aristoteles maximum potius quam magnum appellat, quem solis et lunae vagarumque V stellarum orbes conficiunt, cum ad idem, ubi quondam simul fuerunt, una referuntur.

[2]) Avienus Ausonii auctor (v. i.) ac paene aequalis Panyassidem bis terve exprimit.

Attamen Apollonii Rhodii vestigia inveniuntur haecce:

Aus. XXVII 9_{10-11}

sicca inter rupes Scythicas stetit alitibus crux
unde Prometheo de corpore sanguineus ros
aspargit cautes et dira aconita creat cos.

Ap. Rhod. Arg. III $_{851}$ seqq.

Προμήθειον (planta virosa)

Πρωτοφυὲς τὸ γ' ἀνέσχε, καταστάξαντος ἔραζε
αἰετοῦ ὠμηστέω κνημοῖς ἐνὶ Καυκασίοισιν
αἱματόεντ' ἰχῶρα Προμηθῆος μογεροῖο.

Aus. e. 19_{7-8}

Idmona quod vatem . . . . . dicunt
discendas artes nomina praeveniunt.

Ap. Rhod. Arg. I $_{139}$ seqq.

Ἴδμων δ' ὑστάτιος μετεκίαθεν ὅσσοι ἔναιον
Ἄργος, ἐπεὶ δεδαὼς τὸν ἑὸν μόρον οἰωνοῖσιν
ἤϊε.

Aus. XXVII 9_{7}

non sine Hamadryadis fato cadit arborea trabs

schol. Ap. Rhod. Arg. II $_{477}$

Αἱ ἐπεὶ δοκοῦσιν ἅμα ταῖς δρυσὶ φθείρεσθαι, νύμφαι Ἀμαδρυάδες λέγονται.

Aus. XXIV $_{83}$ seqq.

(alma Venus)

natique in crimina confert
dedecus ipsa suum . . . . . quod pube pudenda
Hellespontiaci ridetur forma Priapi

fortasse ex scholl. Ap. Rhod. Arg. I $_{932}$.

Arati phaenomena et prognostica dubium est an graece noster legerit. Duae enim vel tres praesto erant versiones latinae, quae Ausonio quamvis Graeci esset amans, facilius legebantur. Tamen haud scio an unus locus possit pro documento esse:

Aus. VIII 5
„nec iam miramur licentiam poetarum qui omnia deo plena dixerunt“
Arat. Phaen. 2–4

μεσταὶ δὲ Διὸς πᾶσαι μὲν ἀγυιαί
πᾶσαι δ'ἀνθρώπων ἀγοραί, μεστὴ δὲ θάλασσα.

Sed potest etiam spectare Vergilium qui illum locum Arati exprimit Buc. III 60

Iovis omnia plena.

Ciceronis Aratea servata plerumque ab ipso in libris qui sunt de deorum natura et de divinatione, Ausonio nulla impresserunt vestigia; omnino Schenkl exhibet nullum locum eorum librorum Tullianorum, quem noster expressisse videatur. (sed. cf. th. III.)

Eo certius de Germanici Arateis constat, loci sunt fere hi:

Aus. V 8 14 9 5
inde ad Agenorei festinans cornua tauri
Maius Agenorei miratur cornua tauri
Germ. Ar. Progn. III 145
hinc et Agenorei stellantia cornua tauri.
Aus. VI 20
pacem mundus agat
Germ. Ar. Progn. III 89
pacem mundus habet.
Aus. XXIV 89
maerentem pulsat puerum et graviora paventem
Germ. Ar. Ph. 139
attonitos linquens populos graviora paventis.
Aus. XXX 7
ille dies quam longus erit sub sidere cancri
Germ. Ar. Progn. II 8
omnia mitescunt tranquillo sidere cancri
ib. III 146
quidve ferant gemini rapido quid sidere cancer
ib. III 88
si Venus ingressa est spatiosi sidera cancri.

Ea clausula etiam alibi legitur, cf. quae infra p. 19 ex Avieno afferam (v. Amann de Corippo priorum poett. latt. imitatore p. 7).

Aus. XVII 29$_{5}$

clari flagrat qua stella leonis.

Germ. Arat. Ph. $_{58}$

tempus dexterius signat qua [1]) stella draconis.

Aus. V 8$_{10}$

ad tropicum pergit signum gelidi Capricorni

Germ. Ar. Phaen. 7.

diversasque secat metas gelidi Capricorni

ib. 289

cum sol ambierit metas gelidi Capricorni

Capricornus in ultima sede etiam apud Ciceronem et Avienum, ut Aus. V 9$_{1}$ et XXX$_{8}$.

Aus. VI$_{26}$

Cythereie Vesper

Germ. Ar. Progn. I$_{41}$

Cythereius ignis.

Aus. V 8$_{3}$ 9$_{4}$

Phryxeo ab Ariete pergens

Aries Phryxee.

Germ. Ar. Progn. III$_{78}$

Phryxeum . . . . . . pecus. (v. Avienum.)

Aus. V 8$_{15}$

scandit Lanigeri tropicum Sol aureus astrum

Germ. Ar. Phaen. $_{706}$.

Ortus Lanigeri properabunt condere sacrum.

cf. Progn. I$_{35}$ III$_{23}$, v. etiam Avienum.

Aus. V 9$_{8}$

Leo fervidus igne perurit

Germ. Ar. Progn. II$_{9}$

siccus erit leo praecipue cum pectora fervent.

Eorum nonnulla etiam apud Avienum inveniuntur Germanici aliquatenus imitatorem, e. g.

Av. 1374

torreret rutilo cum Phoebus sidere cancrum

[1]) Sic legendum videtur cum codd. Strozziano et Urbinate, nisi quod hi pro „qua" praebent „quoque," sed vero ordine.

Av. 56.

autumni reditu cur sub gelido capricorno,

clausulam capricorn- habent vv. 649, 652, 662, 707, 823, 979, 1031, 1048, 1244, 1252.

Av. 1283

Phryxei postquam pecoris proruperit ortus.

Av. 515

marcida Lanigeri tantum se forma sub auras.

Atque haec quidem utrum ex hoc an ex illo noster sumpserit dubium, plura autem inveniuntur, e quibus eluceat etiam Avieni Aratea — aequalis propemodum — nostro fuisse cognita et lecta.

Pro documentis sunt loci fere hi:

Aus. IV 3 8

ipse opifex rerum, rebus causa ipse creandis

Av. 28

sufficit alterno res semine rerum opifex hic.

Aus. V 7 16

hoc numero ad plenum vertens reparabitur annus

Av. 1052.

omnibus absolvit totas reparabilis annus,

Aus. IV 3 12

editus ante

quam iubar et rutilus caelum illustraret Eous

Av. 166

qua pater Oceanus rutili reparator Eoi

Av. 34

tendat ut infusi rutilum iubar altera noctis

cf. etiam Aus. XVIII 16

sed liquidum iubar et rutilam visentibus aethram.

Aus. XXVI 2 9

inde trisulca Iovis sunt fulmina, Cerberus inde

Av. 220

moxque trisulca polo iaculatus fulmina celso.

Aus. E. IV 49

qualis floricoma quondam populator in Aetna

Av. 1000

vel cum floricomo iam tellus vere movetur.

„floricomus“ apud antiquiores poetas non legitur; ab horum utroque in secunda versus sede ponitur.

Hisce argumentis omnibus probari puto et Germanicum et Avienum nostro praesto fuisse; de ipso vero Arati opere tam non constat quam de Arateis Ciceronis.

Theocritum nostro fuisse notum et lectum hisce indiciis probatur:

Aus. E. XII 4

ludimus ἀφραδίῃσιν ἐν ἤματι γηράσκοντες

Theocr. XII 2

ἤλυθες· οἱ δὲ ποθεῦντες ἐν ἤματι γηράσκουσιν.

Aus. E. XIV 33

ῥητορικόν τι θέαμα

Theocr. I 56

αἰολίχον τι θάημα

Aus. XVI 22 25

ambo loqui faciles, ambo omnia carmina docti

Theocr. VIII 4

ἄμφω συρίσδεν δεδαημένω, ἄμφω ἀείδεν.

Aus. E. XII 41

ἔνθα σύες θαλεροὶ πολυχανδέα pocula τ' ἔνθα

Theocr. XIII 46,

ἤτοι ὁ κοῦρος ἐπεῖχε ποτῷ πολυχανδέα κρωσσόν.

Aus. e. 36 1

Hanc volo, quae non volt, illam quae volt ego nolo

Aus. e. 94 1

Hanc amo quae me odit contra hanc quae me amat odi.

Theocr. VI 17

καὶ φεύγει φιλέοντα καὶ οὐ φιλέοντα διώκει.

Aus. e. 31 2

Βάκχος ἐνὶ ζωοῖσιν, ἐνὶ φθιμένοισιν Ἀδωνεύς

Theocr. IV 42
ἐλπίδες ἐν ζωοῖσιν, ἀνέλπιστοι δὲ θανόντες.[1])

Suum locum teneant **apologi Aesopici**; Aesopum summa laude effert noster E. XVII 13: „quis ita Aesopi venustates, quis sophisticas Isocratis conclusiones?" Mittit Probo apologos a Titiano versos:

E. XVI 1 2: „apologos Titiani . . . . . . ad nobilitatem tuam misi gaudens atque etiam glorians fore aliquid, quod ad institutionem tuorum sedulitatis meae studio conferatur".

ib. 2 74

apologos en misit tibi
78 Aesopiam trimetriam,
quam vertit exili stilo
pedestre concinnans opus
fandi Titianus artifex.
88 sic iste qui natus tibi
flos flosculorum Romuli
nutricis inter lemmata
lallique somniferos modos
suescat peritus fabulis
simul iocari et discere.

Hanc „Aesopiam trimetriam" iam Fabricius putavit esse fabulas Babrii graecis choliambis scriptas, quas prosaico sermone Latino Titianus expresserat (cf. Aes. ed. de Furia p. CXII).

Expressit Ausonius fabulam Aesopicam e. 71 [2]).

Languentem Gaium moriturum dixerat olim
Eunomus: evasit fati ope, non medici.
paullo post ipsum videt aut vidisse putavit
pallentem et multa mortis in effigie.
„quis tu?" „Gaius" ait. „vivisne?" hic abnuit, „et quid
nunc agis hic?" „missu Ditis", ait, „venio

---

[1]) Sed. cf. quae Peiper comparat ex Anth. Pal. (J. J. Suppl XI 231).
[2]) Primus monuit Schneidewin Phil. I p. 420.

ut qui notitiam rerumque hominumque tenerem,
accirem medicos." Eunomus obriguit.
tum Gaius: „metuas nihil, Eunome: dixi ego et omnes
nullum qui saperet dicere te medicum!"

cf. Babrius fab. 75 B.

Ἰατρὸς ἦν ἄτεχνος. οὗτος ἀρρώστῳ
πάντων λεγόντων· Μὴ δέδιθι, σωθήσῃ γὰρ . . . .
4 ὁ δ' ἀτεχνὴς ἰατρὸς εἶπεν εἰςβαίνων
ἑτοῖμα δεῖ σε πάντ' ἔχειν· ἀποθνήσκεις·
9 Χρόνῳ δ' ἐκεῖνος ἐκ νόσων ἀνασφήλας
προῆλθεν ὠχρός, τοῖς ποσὶν μόλις βαίνων.
Ὁ δ' ἰατρὸς αὐτῷ· Χαῖρ', ἔφη, συναντήσας
καὶ πῶς ἔχουσιν οἱ κάτω, διηρώτα.
Κἀκεῖνος εἶπεν· Ἠρεμοῦσι τῆς λήθης
πίνοντες. Ἡ Κόρη δὲ χὠ μέγας Πλούτων
πρώην ἰατροῖς δεινὰ πᾶσιν ἠπείλουν
ἐπὶ τῷ θεραπεύειν τοὺς νοσοῦντας ἀνθρώπους·
ἀνέγραφον δὲ πάντας· ἐν δὲ τοῖς πρώτοις
καὶ σὲ γράφειν ἔμελλον· ἀλλ' ἐγὼ δείσας
εὐθὺς παρῆλθον, ἡψάμην δὲ τῶν σκήπτρων
κἀπώμοσ' αὐτοῖς ὅτι σὺ ταῖς ἀληθείαις
ἰατρὸς οὐκ εἶ, καὶ μάτην διεβλήθης.

Quod multo brevius est Ausonianum quam exemplar, non mirabimur, nam epigramma fabulae ambages non tolerabat; eadem causa a nostro videmus acumen melius expressum. Sed omnino versio non tam accurata est, ut ex ipso Graeco nostrum hausisse certum sit, praesertim cum non modo Titiani illa, sed sine dubio etiam aliae versiones ei praesto fuerint.

Iam veniamus ad Aus. XVII Epitaphia heroum qui bello Troico interfuerunt, quae ipse in praefatiuncula dicit e Graeco versa esse. Fontem eorum Aristotelis qui fertur Peplum dudum viri docti eruerunt. Namque sub Stagiritae nomine feruntur epitaphia eorum heroum; quae utrum recte hoc

nomen gerant necne quamquam disputare non huius operis est, tamen mea quidem sententia satis certo stant quae Schneidewin de eis disseruit (Phil. I₁ seqq.) nisi quod is nonnulla fortasse minus confidenter peplo ascribere debebat, Ausoniana dico.

Hic paullum video nobis secedendum ab ea via rationeque quam adhuc secuti sumus, ideo quod ipse noster dicit vertisse se „Graeca epigrammata, quae apud philologum quendam repperisset" (XVII 1). Itaque Peplus ille nobis comparandus est cum Ausonio.

Quo facto tria distinguuntur epitaphiorum genera: aut enim Ausonius imitatus est exemplaria Graeca, aut alia atque illa profert, quamquam eiusdem herois in quem Ausonianum fictum est, etiam Graecum invenitur epitaphium; tertium vero genus est eorum Ausonii epigrammatum quorum omnino vestigium Graecum extat nullum.

Sed hoc tertium genus non re fortasse, sed mero casu coacti sumus ponere, quoniam ea quae de Peplo ad nostram aetatem perve nerunt aperte manca sunt; quod si non ita se haberet, haud scio an totum evanesceret, cum epigrammata eius aut primo aut secundo generi ascribi possent.

Atque primi generis sunt haec:

Aus. XVII₄

A i a c i s tumulo pariter tegor obruta Virtus
inlacrimans bustis funeris ipsa mei
incomptas lacerata comas quod pravus Atrides
cedere me structis compluit insidiis.
iam dabo purpureum claro de sanguine florem
testantem gemitu crimina iudicii.

Arist. pepl. ed Schneidewin (Phil. I) 7

Ἅδ' ἐγὼ ἁ τλάμων Ἀρετὰ παρὰ τῷδε κάθημαι
Αἴαντος τύμβῳ κειρομένα πλοκάμους
θυμὸν ἄχει μεγάλῳ βεβλημένα, εἴπερ Ἀχαιοῖς
ἁ δολόφρων Ἀπάτα κρέσσον ἐμοῦ κέκριται.

Legitur epigr. Graecum in sylloga Florentina (cf. Schneidewin l. l.), in anth. Palatina VII 145 *Ἀσκληπιάδου*, apud Tzetzam ad Posthom. 489, variantibus e parte lectionibus, sed noster liberius vertit, quam ut statuere possimus, utrum v. 4 *δύναται* an *κέκριται*

legerit. Cum „incomptas lacerata comas“ (v. 3) cf. Ov. Met. XIII 533 „albentes lacerata comas,“ cum extremo disticho Ov. Met. XIII 394 „purpureum viridi genuit de caespite florem“ et Met. X 215.

Aus. XVII 3

Felix o Menelae deum cui debita sedes
decretumque piis manibus Elysium
Tyndareo dilecte gener, dilecte Tonanti
coniugii vindex, ultor adulterii,
aeterno pollens aevo aeternaque iuventa
nec leti passus tempore nec senii.

Arist. pepl. 3

Ὄλβιος ὦ Μενέλαε σύ γ᾽ἀθάνατος καὶ ἀγήρως
ἐν μακάρων νήσοις γαμβρὲ Διὸς μεγάλου.

Imitatio nostri uberior est: ἐν μακ. νησ. bis expressum, item ἀθ. καὶ ἀγ. Nonnulla etiam hic sua Minerva addidit, velut „Tyndareo dilecte gener“, „coniugii vindex, ultor adulterii.“

Aus. XVII 12

Gunea pontus habet, tumulus sine corpore nomen
fama homines inter, caelum animus repetit.
cuncta elementa duci tanto commune sepulcrum;
quae? caelum et tellus et mare et ora virum.

Arist. pepl. 32

Σῆμα τὸ μὲν Γουνῆος ὁρᾷς, ψυχὴ δὲ θανόντος
αἰθέρ᾽ ἐς ὑγρὸν ἔβη, σῶμα δὲ πόντος ἔχει.

cf. etiam 28.

Σῶμα μὲν ἐν πόντῳ Προθόου Τενθρηδόνος υἱοῦ
κεῖται, ἀνώλεκτιστον δ᾽οὔνομα τύμβος ἔχει.

Adiecit Ausonius alterum distichon, quo acumen magis fiat conspicuum.

Aus. XVII 2 et 4

oppetii manibus coniugis ipse meae,
vindicem adulterii cum Clytemestra necet.

Arist. pepl. 2

Μνῆμα τόδ᾽ Ἀτρείδεω Ἀγαμέμνονος ὅν ῥα κατέκτα
δῖα Κλυταιμνήστρη Τυνδαρὶς οὐχ ὁσίως.

Aus. XVII 8 3–4

praemia virtutis simul et pietatis adeptus
servato Antilochus Nestore patre obii.

Arist. pepl. 11

Μνῆμ' ἀρετῆς υἱοῦ τοῦ Νέστορος Ἀντιλόχοιο
ὃς θάνεν ἐν Τροίῃ ῥυσάμενος πατέρα.

Aus. XVII 9 1–4

Hoc tegor in tumulo quarti iam prodigus aevi
Nestor consilio clarus et eloquio;
obiecit sese cuius pro morte peremptus
filius, et nati vulnere vivo pater.

Arist. pepl. 9

Τὸν βαθύνουν ψυχὴν νόημά τε θεῖον ἔχοντα
ἄνδρ' ἀγαθὸν κατέχω Νέστορα τὸν Πύλιον.

ib. 10

Νέστορα τὸν Πύλιον ἡγήτορα ἠδὲ θανόντα
γῆ κατέχει βουλῇ φέρτατον ἡμιθέων.

Aus. XVII 22 1–2

Hippothoum Pyleumque tenet gremio infima tellus,
caulibus et malvis terga superna virent.

Arist. pepl. (63 a, inseruit M. Schmidt Phil. XXIII p. 66) 600 Rose

Νώτῳ μὲν μαλάχην καὶ ἀσφόδελον πολύριζον,
κόλπῳ δὲ τὸν δεῖνα [1]) ἔχω.

Etiam hic videmus alterum distichon a nostro adici.

Habemus igitur magis minusve certa vestigia epitaphiorum quae feruntur Aristotelis 1, 2, 3, 7, 9, 10, 11, 28, 32, 63a; unde nostro iure concludimus ea epitaphia quae Ausonius apud „philologum" illum reppererit fere eadem esse, quae nunc in Peplo legimus.

---

1) τὸν δεῖνα Eust. ad Od. Λ 538; Schmidt et Rose: κόλπῳ δ' Οἰδιπόδαν Λαΐου υἱόν e vasculo Herculanensi a Millingenio edito (Anc. uned. mon. I p. 86 pl. 36). Recte ille p. 87: „This distich . . . appears to have been a common form for sepulchral inscriptions, varying only the name, country and other circumstances." Vasculum illud, quod ad Peplum omnino non pertinet, minime nos cogit etiam nomen in peplum recipere; eodem iure cum Ausonio Peplo tribui posset

κόλπῳ δ' Ἱππόθοον καὶ Πυλέα κατέχω.

Sed in eodem leguntur epitaphia Achillis (4 et 5 Schneidewin) Ulixis (12 et 13) Diomedis (14) Euryali (35) Protesilai (49) Hectoris (46 et 60) Sarpedonis (53); eorundem legimus nostri 5 (Achillis) 6 (Ulixis) 7 (Diomedis) 11 (Euryali) 13 (Protesilai) 15 (Hectoris) 17 (Sarpedonis), quae omnia praeter nomen nil cum Graecis commune habent.

Itaque oritur quaestio, num ex his differentiis concludendum sit in illis epitaphiis latere vestigia aliorum epigrammatum atque nunc in Peplo legantur. Quod ego negare non dubito.

Nam si eius generis quod posuimus primum epitaphia Ausoniana intuemur, videmus nostrum tot res aut mutasse aut addidisse, ut identidem exemplaris vestigia paene obruantur vel obscurentur.

Omnino ille graecam tenuitatem aspernatur, et cum illa quidem praeter unum Aiacis unius distichi sint, Ausoniana plerumque sunt ternorum. Quid mirum ergo, si hic illic nihil nisi nomen herois mansit, cetera ab Ausonio addita sunt aut aliunde decerpta aut ab ipso excogitata? E. g. Aus. XVII 7 Diomedis sapit Homerum (Il. IV 405 v. p. 11). et Vergilium (Aen. XI 245—50). — Aus. XVII 6 Ulixis v. 2.

„per lege Odyssean omnia nosse volens"

ipsi Ausonio videtur deberi; fortasse Aus. XVII 5_4 similiter de Iliade sermo erat. — Aus. XVII 13: primum et extremum distichon Ausonii videntur, cf. e. 19_{3-6}; cetera vulgatam historiam reddunt, cf. Ov. Her. XII $_{90}$ seqq., Verg. Aen. II $_{90}$ — Aus. XVII $_{17}$: acumen etiam hic Ausonii videtur; cf. Il. XVI $_{459}$.

Eadem causa de tertio nostro genere nihil certi statuendum, possunt enim eorum exempla ant nunquam Graece extitisse, aut — si fuerunt — tam libere ab Ausonio in suum usum versa esse quam — reliqua videmus. Etenim aliorum poetarum vestigia non minus crebro inveniuntur: Homeri et Euripidis (v. p. 8 et 11), Vergilii et Senecae Schenkl satis multa annotavit; addo A. Pal. IX $_{461}$ = Aus. XVIII $_{10}$ (v. i. p. 31). Ipsum Ausonium sapit in ep. 14 Maro (!), in ep. 19 versus quartus, acumen in ep. 20 21 23.

Ideo Schneidewin cum Ausoniana peplo Aristoteleo ascripsit, minus caute egisse mihi quidem videtur in eis, quae nos alterum vel tertium genus efficere diximus.

Leguntur epitaphia graeca in codice Florentino nullo auctoris nomine; alia apud Tzetzam, qui quamquam Peplum novit, non diserte dicit inde ea sumpta esse; duo in anth. Palatina, alterum sub nomine Asclepiadae (Schneidewin etiam alia Peplo vindicavit A. Pal. epigrammata anonyma.) Unus nobis testis Eustathius, qui alia epigrammata Pepli servavit integra, aliorum fragmenta. Eustathius ea e Porphyrio novit cf. Eust. ad Il. B. 558. *ἰστέον δὲ καὶ ὅτι Πορφύριος εἰς Αἴαντα ἐπίγραμμα παλαιὸν προφέρει τόδε· Ἄδ' ἐγὼ — κέκριται. ἱστορεῖ δὲ ὁ αὐτὸς Πορφύριος καὶ ὅτι Ἀριστοτέλης σύγγραμμα πραγματευσάμενος ὅπερ ἐκλήθη πέπλος, γενεαλογίας τε ἡγεμόνων ἐξέθετο καὶ νεῶν ἑκάστων ἀριθμὸν καὶ ἐπιγράμματα εἰς αὐτούς, ἃ καὶ ἀναγράφεται ὁ Πορφύριος ἐν τοῖς εἰς τὸν Ὅμηρον, ἁπλᾶ ὄντα καὶ οὐδέν τι παχὺ καὶ φλεγμαῖνον ἔχοντα. δίστιχα δὲ τὰ ὅλα ἐκεῖνα δίχα τοῦ ῥηθέντος εἰς τὸν Αἴαντα.* Idem ad Od. *Λ* 538 . . . *ὡς δηλοῖ καὶ τι τῶν παρὰ τῷ Πορφυρίῳ ἐπιγραμμάτων.* Idem ad Il. *Α* 5 . . . . *ὡς δηλοῦται καὶ ἔν τινι τῶν παρὰ Πορφυρίῳ ἐπιγραμμάτων.*

Cum his testimoniis si comparantur quae Ausonius dicit XVII 1: „quae antiqua cum aput philologum quendam repperissem, latino sermone converti" concludi posse videatur Porphyrium fuisse philologum illum. Sed hoc minime certum est, namque ut Ausonius Porphyrii consulto mentionem non fecerit, Stagiritae nomen vix puto futurum fuisse ut omitteret. Atqui apud Porphyrium Aristotelem auctorem nominatum fuisse Eustathius testis est; de eodem noster ne verbum quidem dicit. Fortasse etiam epitaphium Aiacis (pepl. 7) cum Asclepiadae nomine in anthologia Graeca legit (A. P. VII 145).

Itaque cavendum ne Ausonii verba premamus, praesertim cum quantulum valeat illud »latino sermone converti« in aperto sit. Hoc tantum certum videtur, invenisse eum alicubi — haud credam apud Porphyrium — collectionem epigrammatum syllogae Florentinae subsimilem liberrimeque expressisse, de Aristotele vero auctore nihil habuisse compertum.

Omnium maxime epigrammata Graeca Ausonium ad imitandum et exprimendum allexisse dudum inter viros doctos constat [1]); neque

[1]) Egit de hac re nuperrime Peiper in Fleckeiseni annal. suppl. XI p. 229 seqq.

modo in ipsius epigrammatis sed etiam in ceteris eius operibus vestigia eorum animadvertimus haud pauca. Saepe enim sententiam videmus ex epigrammatis Graecis sumptam, quam noster aut ipsam exprimit aut ita imitatur et amplificat, ut ea quodammodo excitatus suo Marte proferat quae ei apta videntur ad epigramma efficiendum. Etiam integra epigrammata vertit haud pauca aut verbum verbo reddens aut liberius exemplar exprimens. Sed etiam his versionibus non raro sua addit, ut a Graeco magis videatur profectus esse quam eo ductus; saepenumero acumen ipsius est. At haec suo loco videbimus.

Lemma »e Graeco« suprascriptum legimus epigrammatis Aus. 20, 21, 23, 82—87. Praeter 23, cuius fons Plutarchus videtur fuisse, universa ad anthologias quas nunc habemus revocari posse infra ostendemus; epigrammatum vero 84 et 85 exemplar ibi non legitur, neque alibi id invenire contigit. De hisce igitur res in dubio manet.

Levius etiam est quod e. 41. Rufi grammatici nomen fortasse petitum est ex Anth. Pal. XI$_{143}$ *Λουκιλλίου* v. 6. *Ῥοῦφος ὁ γραμματικός*, et quod Aus. XVII$_{28}$ nonnullis rebus congruit cum Anth. Pal. XVI$_{131}$ *Ἀντιπάτρου*: „bis septem natis genetrix": *„αἱ δίσσ' ἑπτάκι τέκνα τεκοῦσα"*, quod in loco tam communi vix mireris. — Rectius fortasse Aus. c. 29$_{4}$ — *καὶ κύνα Διογένην* revocatur ad A. P. VII$_{67}$ *Λεωνίδα* 4. — *τὸν κύνα Διογένην*.

Praeterea Enoch et Elias nominantur in coelum propter pietatem abrepti IV$_{41}$, qui item inveniuntur A. P. VIII (Gregorii Nazianzeni) 49$_{1}$

Πίστις Ἐνὼχ μετέθηκε καὶ Ἠλίαν,

sed Ausonii locus multo locupletior.[1])

Certa vero vestigia habemus in eis epigrammatis quae sententiam e Graeco sumptam exprimunt velut

---

[1]) Paullo certius Gregorium agnoscimus Aus. E. XIV$_{30}$

ῥυθμῶν Πινδαρικῶν ἔννομον εὐεπίην

cf. Gregorii Nazianzeni opp. ed. Par. vol. II p. 584.

Γνῶμαι Γρηγορίου δίστιχος εὐεπίη.

Legitur hic versus in cod. anthologiae Palatinae (cf. P. Wolters, de epigrammatum Graecorum anthologiis Bonnae 1882 p. 19).

Aus. e. 33

Σαπφὼ

εἰμ' ἐνάτη λυρικῶν, Ἀονίδων δεκάτη

revocari potest ad A. P. IX$_{571}$ *ἀδέσποτον* v. 7—8

Ἀνδρῶν δ' οὐκ ἐνάτη Σαπφὼ πέλεν, ἀλλ' ἐρατειναῖς
ἐν Μούσαις δεκάτη Μοῦσα παραγράφεται.

Cf. etiam A. P. IX$_{66}$ *Ἀντιπάτρου Σιδωνίου*

δεκάταν Μοῦσαν

et IX$_{506}$ *Πλάτωνος*

ἠνίδε καὶ Σαπφὼ Λεσβόθεν ἡ δεκάτη (*Μοῦσα*).

Aus. c. 46

exprimit A. P. IX$_{489}$ *Παλλαδᾶ* v. 2.

παιδίον ἀρσενικὸν θηλυκὸν οὐδέτερον.

De Pallada auctore dubitat Peiper.

Aus. e. 87

sumptum ex A. P. XI$_{254}$ *Λουκιλλίου* 4

ὀρχούμενος
καὶ πάλιν ὢν Καπανεὺς ἐξαπίνης ἔπεσες.

Aus. v. 2:

histrio saltabat qui Capanea ruit.

Dübneri vituperium: »graece poeta longe inferior« pertinet ad versus subditicios 3—6 (Peiper).

Saepiuscule e compluribus Graecis suum contaminavit:

Aus. e. 56

v. 1—2 ex Anth. Pal. IX$_{726}$ *Ἀντιπάτρου Σιδωνίου*

Ἁ βοῦς ἁ τίκτουσ' ἀπὸ γαστέρος ἔπλασε τὰν βοῦν
ἁ δὲ Μύρωνος χεὶρ οὐ πλάσεν, ἀλλ' ἔτεκεν.

v. 3—6 ex A. P. IX$_{730}$ *Δημητρίου Βιθυνοῦ*

Ἢν μ' ἐσίδῃ μόσχος, μυκήσεται· ἢν δέ γε ταῦρος,
βήσεται· ἢν δὲ νομεύς, εἰς ἀγέλαν ἐλάσει.

Ad v. 4 cf. A. P. IX 721 *Ἀντιπάτρου Σιδωνίου.*

Aus. e. 36 3

oblatas sperno illecebras, detrecto negatas

= A. P. V 42 *Ῥουφίνου*

Μισῶ τὴν ἀφελῆ, μισῶ τὴν σώφρονα λίαν

7—8 callida sed mediae Veneris mihi venditet artem
femina quae iungat quod volo nolo vocant

= A. P. XII 200 Στράτωνος

5 ἀλλὰ τὸν ἐκ τούτων ἀμφοῖν μέσον, οἷον ἐκεῖνον
τὸν καὶ μὴ παρέχειν εἰδότα καὶ παρέχειν.

Aus. e. 12.

v. 1—2 cf. A. P. V 21 Ῥουφίνου 1—2

Οὐκ ἔλεγον Προδίκη γηράσκομεν; οὐ προεφώνουν
ἥξουσιν ταχέως αἱ διαλυσίφιλοι

cf. A. P. V 85 1—2.

v. 7—8 = A. P. V 304 ἀδ.

Ὄμφαξ οὐκ ἐπένευσας· ὅτ' ἦς σταφυλή, παρεπέμψω·
Μὴ φθονέσῃς δοῦναι κἂν βραχὺ τῆς σταφίδος.

Ut in hisce sua admiscet, ita in eis quae nunc sum prolaturus tam multa ex ipsius ingenio profecta videntur esse, ut nil nisi ansam suorum videatur e Graeco sumpsisse.

Aus. e. 32.

εἷς λίθος

Anth. Pal. IX 759 ἀδ.

Εἷς λίθος, ἅρμ', ἐλατήρ, ἵπποι, ζυγόν, ἡνία, μάστιξ.

Item Aus. e. 108—113 forma, non materia similia sunt epigrammati A. P. XI 235 Δημοδόκου vel 236 (eiusdem?)

Πάντες μὲν Κίλικες κακοὶ ἀνέρες, ἐν δὲ Κίλιξιν
εἷς ἀγαθὸς Κινύρης, καὶ Κινύρης δὲ Κίλιξ.

Aus. e. 103

iam Scaliger in ed. comparat cum A. P. IX. 783 ἀδ., similitudo non magna. (Peiper: „mag fraglich erscheinen, jedenfalls liegt Ov. Met. 384 mit zu Grunde.“)

Ex eis epigrammatis quae sunt de bucula Myronis e. 56 e compluribus contaminatum est (v. p. 29), e. 57 revocari debet ad A. P. IX 721 Ἀντιπάτρου Σιδωνίου

Μόσχε τί μοι λαγόνεσσι προσέρχεαι, τίπτε δὲ μυκᾷ;
Ἡ τέχνη μαζοῖς οὐκ ἐνέθηκε γάλα.

e. 59 ad IX 727 ἀδ.

Καὶ χαλκῆ περ ἐοῦσα λάλησεν ἂν ἁ κεραὰ βοῦς

cf. A. P. IX 724 et 728, utrumque Ἀντιπάτρου.

e. 61. ad. IX $_{734}$ *Διοσκορίδου*

Ταῦρε μάτην ἐπὶ πόρτιν ἐπείγεαι, ἐστὶ γὰρ ἄπνους·
ἀλλά σ' ὁ βουπλάστας ἐξαπάτησε Μύρων,

e. 62 et 63 ad IX $_{731}$ (Plan: *Δημητρίου Βιθυνοῦ*)

2 — *νομεὺς εἰς ἀγέλαν ἐλάσει.*

Cetera omnia ipsi Ausonio videntur deberi.

Aus e. 10

1 Vane quid affectas faciem mihi ponere pictor
8 et si vis similem pingere, pinge sonum

fortasse profectum est ex A. P. XI $_{433}$ *Λουκιανοῦ* (Plan: *Λουκιλλίου*)

Ζωγράφε τὰς μορφὰς κλέπτεις μόνον, οὐ δύνασαι δὲ
φωνὴν συλῆσαι χρώματι πειθόμενος.

Ex epigrammatis Ausonianis in Rufum grammaticum compositis e. 43 referendum est ad A. P. XVI $_{318}$ *ἀδ.*, cuius e. 42 est versio (v. p. 33). 47 revocari debet ad A. P. XI $_{151}$ *ἀδ.* (Plan: Ammiani) 2 *ὁ δὲ ῥήτωρ ῥήτορος εἰκών* (= A. P. XI $_{145}$ *ἀδ.* v. 1). —

Aus. e. 48 exprimit A. P. XVI $_{317}$ *Παλλαδᾶ*

Κωφὸν ἄναυδον ὁρῶν τὸν Γέσσιον εἰ λίθος ἐστί,
Δήλιε, μαντεύου, τίς τίνος ἐστὶ λίθος.

Aus. XV 25 $_{16-20}$

quattuor ediderat tum facta puerpera partus,
funera sed tumulis iam geminata dedit.
divisio facta est
debetur matri cetera progenies

fortasse originem duxit ab A. P. VII $_{464}$ *Ἀντιπάτρου* vel $_{465}$ *Ἡρακλείτου* (femina geminos enixa alterum marito relinquit vivum, alterum moriens secum abduxit), propius vero accedit epigramma Burdigalae in lapide repertum (Kaibel 675)

Λείψανα Λουκίλλης διδυματόκου ἐνθάδε κεῖτε
ἧς μεμέρισται βρέφη, ζῶον πατρί, θἄτερον αὐτῇ.

Aus. XVII $_{10}$

maior virtute paterna
quod puer en regis Pyrrhus opima tuli,

A. P. IX $_{461}$ *ἀδ.* *Τίνας ἂν εἴποι λόγους ὁ Πύῤῥος ἐπιβὰς Τροίας·*

Μόχθος ἐμοῦ γενετῆρος ἀμύμονος οὐ τέλος εὗρεν
αὐτὰρ ἐγὼ . . . . . .

. . . . . . ἠνορέῃ ὑπέρτερον εὖχος ἀείρω .
καὶ Πρίαμον βασιλῆα . . . .
. . . . κατὰ μῶλον ἐμὸν μένος οἶδεν ὀλέσσαι.

Lusus verborum qui legitur Aus. e. 37 et 38 haud scio an originem ducat ex A. P. XI$_{426}$ ἀδ. εἰς Ὀπιανὸν ἡγεμόνα πότην·

Γράμμα περισσὸν ἔχεις τὸ προκείμενον· ἣν ἀφέλῃ τις,
τοῦτό σοι, οἰκεῖον κτήσῃ ἁπλῶς ὄνομα,

namque et ipsum nomen Ἀκινδύνος prope astat ib. 429 Λουκιανοῦ (ordinem veterem hic servatum esse in anth. Pal. Weigand docuit Mus. Rh. III p. 552).

Aus. e. 78 dubito num ad A. P. XI$_{139}$ Λουκιλλίου revocari possit, item Aus. e. 67 ad A. P. V$_{49}$ Γάλλου, namque talia difficile in A. P. non inveniuntur.

Aus. e. 85 cum A. P. IX$_{30}$ ἀδ. (Pl. Λουκιανοῦ) comparare non audeo, cum quae in lemmate suprascripta sunt: »Ἁ χάρις ἁ βραδύπους ἄχαρις χάρις« rectius pro veri exemplaris fragmento haberi videantur. (Peiper: „Dieselbe Quelle (atque Aus. e. 85) liegt A. P. IX$_{30}$ zu Grunde").

Venio ad **versiones**.

Aus. V. 12
ad verbum exprimit A. P. IX$_{357}$ ἀδ. (Plan.: Ἀρχίου).

Aus. XXXIII
Monosticha de Herculis aerumnis vertit noster ex A. P. XVI$_{92}$ ἀδ., sed ita ut in extremis duabus ordinem mutet versumque exprimat Lucani Phars. IV$_{612}$

Ille Cleonaei proiecit terga leonis

Aus. XXXIII$_{1}$

Prima Cleonaei tolerata aerumna leonis.

Aus. e. 20
ad verbum reddit A. P. XVI$_{263}$ ἀδ.

Καί με λίθον Πέρσαι δεῦρ' ἤγαγον, ὄφρα τρόπαιον
στήσονται Νίκης· εἰμὶ δὲ νῦν Νέμεσις.
ἀμφοτέροις δ' ἕστηκα καὶ Ἕλλησι τρόπαιον
νίκης καὶ Πέρσαις τοῦ πολέμου νέμεσις.

Aus.:

Me lapidem quondam Persae advexere tropaeum
ut fierem bello; nunc ego sum Nemesis.
Ac sicut Graecis victoribus asto tropaeum
punio sic Persas vanilocos Nemesis.

Cf. Aus. Ep. XXV 49–53

Arsacidae ut quondam regis non laeta triumphis
grandia verba premens, ultrix dea Medica belli
sistere Cecropidum in terris monumenta paranti
obstitit et Graio iamiam figenda tropaeo
ultro etiam victis Nemesis stetit Attica Persis. [1])

Aus. e. 21

= A. P. IX 44 *Πλάτωνος τοῦ Μεγάλου* (Plan.: *Πλάτωνος, οἱ δὲ Ἀντιπάτρου*). (Peiper: non IX 45).

Aus. e. 22

= A. P. VII 229 *Διοσκορίδου,* epigr. Graecum legitur etiam apud Plutarchum apophth. Lac. 48.

Aus. e. 42

= A. P. XVI 318 *ἀδ.* Similis argumenti, sed non huius exemplaria sunt A. P. XI 145, 149, 151. Vide p. 31.

Aus. e. 49

= A. P. XVI 333 *Ἀντιφίλου Βυζαντίου* (non VII 66), nisi quod prima duo disticha in unum a nostro sunt contracta.

Aus. e. 52

= A. P. XVI 174 *ἀδ.* lemma Graecum Ausonius in epigr. ipsum inducit.

Aus. e. 53

= A. P. VI 1 *Πλάτωνος* (? Bergk); expositio per „anus" efficacior facta est, acumen melius expressum, cf. *τοίη — οἵη δ' ἦν πάρος* „qualis sum — qualis eram".

Aus. e. 82

= A. P. V 68 *Λουκιλλίου οἱ δὲ Πολέμωνος τοῦ Ποντικοῦ.*

---

[1]) Locos exscripsi quo melius perspiciatur Ausonium suum ipsius epigr. laudare: cf. „grandia verba premens — vanilocos: τοῦ πολέμου νέμεσις", „quondam — quondam: καί με λίθον. Ep. XXV anno 393 data omnium extrema est (Schenkl Prooem. XVII). Fortasse hoc est indicium serae recensionis.

Aus. e. 83
= A. P. V 88 *Ῥουφίνου.*[1])
Aus. e. 96
= A. P. XI 163 *Λουκιλλίου.* Verba graeca *παρέλθῃ, καταστρέψῃ, παρατροχάσῃ* Aus. haud feliciter vertit „caestu, certamine luctae, cursu praetereat."
Aus. e. 97
= A. P. V 158 *Ἀσκληπιάδου.*

Suum locum occupat Aus. e. 39, est enim versio e duobus Graecis, A. P. XI 225 *Στράτωνος* et XII 210 *Στράτωνος* ita contaminata ut vix dicas utri magis simile videatur; certo utrumque Ausonio ante oculos fuit.

Habes versiones plerumque satis accuratas sed quae identidem manum Ausonii passae sint correctricem, quae saepius etiam apparet in eis quae sequuntur. Haecce enim non modo exemplar fere totum exprimunt, sed etiam aucta sunt a nostro rebus aut ab ipso inventis aut aliunde petitis.

Aus. e. 70
= A. P. XI 113 *Νικάρχου* v. 2 et 3

. . . . ille
quamvis marmoreus vim patitur medici
ecce hodie iussus transferri e sede vetusta

ab Ausonio explicandi causa additi sunt.

Aus. e. 69
revocandum ad A. P. XI 114 *Νικάρχου.* Induxit Aus. aegrotantem, cum in exemplari ipse haruspex medici tactu obire fingatur.

Aus. XVII 33
exprimit A. P. VII 228 *ἀδ.*; ex altero exemplaris disticho noster duo efficit, quo acumen exprimatur copiosius.

Aus. e. 55
contaminatum videtur ex. A. P. XVI 162 *ἀδ.*

---

[1]) Peiper l. l. p. 233 cum codice Tiliano legit in e. 83 „restringe" ideoque dicit: „aber jedem der beiden Ausoniana liegen beide Graeca zu Grunde". Ego cum ceteris codicibus malim »restingue« (item Schenkl).

Ἁ Κύπρις τὰν Κύπριν ἐνὶ Κνίδῳ εἶπεν ἰδοῦσα·
φεῦ, φεῦ! ποῦ γυμνὴν εἶδέ με Πραξιτέλης;

et XVI 160 Πλάτωνος 5—6

Πραξιτέλης οὐκ εἶδεν ἃ μὴ θέμις, ἀλλ' ὁ σίδηρος
ἔξεσεν οἷ' ἂν Ἄρης ἤθελε τὴν Παφίην.

Iam Iacobs (et post hunc Benndorf, de anthol. Graec. epigrammatis quae ad artes spectant, Bonnae 1862 p. 23) XVI 160 5—6 a Platonis epigrammate secernenda iudicavit. Porro teste Dübnero (cf. eius ann. ad XVI 162) in schedis Krohnianis extat epigramma 162 cum duobus illis versibus in fine additis, ut efficiatur tetrastichon cum Ausonio congruens. Fortasse etiam Ausonius tale epigramma ante oculos habuit.

Perspicuitatis causa, ut videtur, „Vera" addidit, item acumen facilius reddit ad intellegendum exponens ferrea caela opus fecisse, ferrum vero cum in Martis imperio sit, ad huius arbitrium eam sculpsisse.

Aus. e. 13

= A. P. IX 18 Γερμανικοῦ Καίσαρος; sed expositionem noster hausit ex A. P. IX 17. item Germanici (in marg.: γρ. Ἀδριανοῦ); cf. etiam IX 371 ἀδ. (Plan. Τιβερίου).

Aus. XVII 29

= A. P. VII 64 ἀδ.; addidit Aus. nonnulla (v. 2 lusum verb. „abiit" — „obit", v. 3, cui pera penus, v. 4.), acumen verbis expressit copiosioribus.

Aus. XXIX

fluxit ex A. P. IX 359 Ποσειδίππου, οἱ δὲ Πλάτωνος τοῦ Κωμικοῦ (Plan. οἱ δὲ Κράτητος τοῦ Κυνικοῦ); multis rebus a nostro ampliatum est, ut pro decem versibus legamus quinquaginta

Aus. XVII 4

= A. P. VII 145 Ἀσκληπιάδου = Arist. pepl. 7; vide p. 23.

Aus. e. 68

= A. P. IX 159 ἀδ. Rem ut faciat probabiliorem, causam noster „ad nauseam usque expolivit" (I. G. Huschke, Anall. critt. in anth. Graec. Ienae 1800 p. 141), effectum lenivit (cf. πήρωσεν γλυκεροῦ βλέμματος ὀρφανίσας: „frontem oculosque petit"). Ultimum Aus. distichon Graecum „τὴν ἰδίην δὲ ἔκλαυσεν χειρῶν εὔστοχον ἀφροσύνην" satis distractum reddit.

Aus. e. 51

Faustissimis auspiciis hanc puto versionem a nostro conceptam, quae non modo A. P. XVI $_{129}$ *ἀδ.* eleganter et accurate reddat, sed insuper Niobes nomen e lemmate in ipsum epigramma recipiat. Nec minus felix fuit in addendo acumine:

Reddidit artificis manus omnia, sed sine sensu:
hunc ego, cum laesi numina, non habui.

Aus. e. 50

= A. P. IX $_{145}$ *ἀδ.* Secundum exemplaris distichon non exprimit Aus., cetera libere vertit, Diogenis commoda copiose exponit.

Ultimum Aus. distichon ab ipso additum est: notatu dignum est, quod Croesi quodammodo partes contra exemplar noster videtur amplecti. Croesum et Diogenem inter se comparatos legimus etiam Aus. XII 2 $_{12}$

cuncta cupit Croesus, Diogenes nihilum.

Aus. e. 11

imitatur A. P. XVI $_{275}$ *Ποσειδίππου*, sed multis locis exemplar non sequitur: Phidiae id opus esse fingit, Palladis Iovisque signis arte par; in rotula Occasionem stantem facit (*ἐπ' ἄκρα βέβηκας*); crine faciem dicit opertam esse ne cognoscatur; deest novacula, ita ut tertii distichi Graeci nullum sit vestigium; addita est Metanoea.

Hic quamquam e praecedentibus iudicium ferre licet, tamen video accuratius inquirendum, cum de artificio sermo sit. Namque in illis quidem epigrammatis quae sunt de bucula Myronis nil de eius condicione profertur, hic vero gravissima quaeque mutata videmus, atque hoc ita ut non modo auctores, sed etiam artificium antiquum ex parte cum Ausonio congruat. [Callistr. stat. 6. *Εἱστήκει ἐπί τινος σφαίρας ἐπ' ἄκρων τῶν ταρσῶν βεβηκώς* — Tzetzes Chil. VIII $_{433}$ *πτερόπουν ἐπὶ σφαίρας* — Nicephorus Blemmydes p. 667. *κἀπὶ σφαίρας βεβηκότα.* cf. Foerster M. Rh. 38,$_{434}$ seqq. — et anaglyphon Torcellense (ed. a Curtio Arch. Zeit. 33 p. 1 seqq.), in quo *Καιρὸν* videmus duabus rotulis pinnatis ingredientem et post tergum eius hominem astantem gestu maeroris pleno].

Iam cum ipsa Ausoniani forma atque indole omni dubitationi exemptum sit, quin Posidippi epigr. noster ante oculos habuerit,

quaerendum est, utrum de suo cetera mutarit vel addiderit an aliquo artificio ductus.

Artificium cum Iove Minervaque Phidiaca comparatum item statua sit necesse est, non anaglyphon. Contra Metanoea cum Occacione tam arcte coniuncta ut una efficiatur statua fingi vix potest.

Occasio Ausonii femina dea est, *Καιρὸς* deus; atqui ars Romana adeo semper fuit in dicione Graeca (cf. anagl. Torcellense), ut non credam statuam Occasionis feminae unquam fuisse.

Facies crine ita tecta ut cognosci nequeat a quovis fere artificio abhorret. Haec quidem mutatio fortasse eo explicatur quod noster feminam fingit Occasionem, cuius capillo promissiore faciem facile cooperiri apertum est.

Hisce causis non credo Ausonium aliquod artificium eius generis vidisse. Notatu vero dignum videtur quod Ausonius Occasionem quodammodo Fortunae vices agentem facit, cf. v. 5

Mercurius quae
fortunare solet, trado ego cum volui.

Fortuna vero dea apud Aus. saepius occurrit, cf. XIII 2_{85}, XV 6_{13}, 24_{13}, XVIII 2_{412}. Huic sphaerae vel rotae symbolum addi solet [1]) (Aus. XV 24_{13}. „aut iam Fortunae sic se vertigo rotabat"); sic fortasse rotula explicatur.

Poenitentia post Occasionem e manibus elapsam remanens adeo in promptu est, ut paene locus videatur communis, cuius simillimum legas etiam Aus. XX $_{211-212}$

reputate cuncti quotiens offensam incidat
spectata cui non fuerit opportunitas;

prope etiam ad nostrum accedit A. P. X $_{37}$ *Λουκιανοῦ*

αἰὲν ἐφελκομένη τὴν Μετάνοιαν ἔχει. [2])

Itaque etiam Metanoeae additamentum ipsi Ausonio deberi veri non est dissimile. Quod vero Occasio novaculam non habet, saepiuscule in vertendis epigrammatis aliquid eum omittentem neque

---

[1]) cf. Galen adhort. 2 τοῖν ποδοῖν ὑπέθεσαν βάσιν σφαιρικήν et Plut. de fort. III ὑπὲρ σφαίρας τινὸς ἴχνος καθιεῖσα.

[2]) Benigne ut solet monuit Foerster Metanoeae personam etiam Luc. de merc. cond. 42 extr. extare „τὸν ἄθλιον ἐπαπολλύουσαν" in vitae aulicae pictura fieticia.

semper unumquemque exemplaris locum exprimentem videmus, qua de re v. p. 43.

Restat ut quaeramus ubi Ausonius Graeca invenerit. Namque a Constantino Cephala unde quaeque decerpta anthologiae Palatinae inserta sint, post Passowium cett. Weigand ita eruit, ut admodum pauca certo loco careant, cetera ad veteres anthologias coronasve revocata sint. Quem si sequimur in eis quae in nov Mus. Rhen. III p. 171 seqq. 541 seqq. exponit e

Meleagri corona

Ausonius expressit[1]) epigrammata Antipatri Sidonii, Asclepiadae, Demetrii Bithyni (Weigand p. 177), Dioscoridae, (Leonidae Tarentini), (Cratetis Cynici, Platonis Comici), Posidippi, (Heracleti);

e Philippi corona

epp. (Antipatri Thessalonicensis), Antiphili Byzantii, (Polemonis Pontici, cf. Weigand l. l. 548, qui V 68 mavult Lucilio dare), (Statyllii Flacci);

e Diogeniani anthologia

(Hadriani), (Ammiani), Luciani, Lucilii, Nicarchi, Rufini, anonyma XI 145 (149) 151 (Plan. Ammiani) 486. (Weigand p. 552).

Iam vide quantum accedat eis quae Weigand de Rufini aetate disseruit. Iacobs Rufini epigrammata non multum ab eis differre dicit, quae sub Iustiniano Agathias Paulus Macedonius alii luserint; Weigand eum secundo saeculo fuisse putat, quae sententia a nobis gravissimo argumento fulcitur.[2])

Gregorii Nazianzeni

vestigia satis levia sunt.

Stratonis

epigrammatum duo vel tria exprimit noster, sine dubio ex eius Musa puerili sumpta.

In incerto reliquit Weigand cui tribuenda sint epigrammata Germanici Caesaris, (Tiberii), (Demodoci), (Galli), Archiae.

Restat Palladas. Hunc Peiper (Fleckeiseni Ann. Suppl. XI. 237)[3])

---

[1]) Uncinis includuntur nomina dubia vel incerta.

[2]) Idem sensit Peiper l. l. p. 233 et 237.

[3]) „Finden wir den Palladas als Vorbild für eine einzelne Nummer, so werden wir diesen Namen anfechten . . . wir müssten denn annehmen, dass ein Stück sehr ähnlichen Inhalts dem Aus. wie dem Palladas vorgelegen habe“.

negat epigr. A. P. IX$_{484}$ esse posse auctorem, sed alterum vestigium addit Schenkl, epigrammatis XVI$_{317}$ *Παλλαδᾶ*. Causa Peiperi est quod quantum video post Iacobsium omnes vv. dd. Palladam ineunte saeculo quinto vixisse statuunt: videamus quo iure.

Nititur Iacobs epigrammate IX$_{400}$; (Anth. Gr. ed. Iacobs XIII p. 927) „Palladas quo tempore vixerit apparet ex epigrammate CXV (Duebner IX$_{400}$), ubi de Hypatia, Theonis filia, ut de vivente loquitur. Hypatia autem . . . . a plebe christiana trucidata est a. p. Chr. 415. . . . . (fortasse) . . . iam sub Valente et Valentiniano scripsit". Similiter Weigand p. 561.

Sed hoc ipsum epigramma Boissonadius Palladae esse negat (cf. ann. Duebneri ad A. P. IX$_{399}$, vol. II p. 211): „auctoris nomen olim fuit ascriptum, et ut videtur illud ipsum quod Iac. edidit nomen, sed vel evanidum vel nescio cur rasum. Lemma autem epigrammatis 401: *καὶ τοῦτο Παλλαδᾶ* ab aliena manu est additum". Paulss. — Nil ille de sequente epigrammate 400, ubi *τοῦ αὐτοῦ Παλλαδᾶ*, unde nostrum quoque Iac. Palladae tribuebat; sed Salmasius testatur „additum recentiore manu *τοῦ αὐτοῦ Π.*" — Tribus Boissonadius *ἄδ.* inscripsit, multa sane Palladae his sunt meliora."

Item ad IX$_{400}$: „Iterum legitur infra cap. XV. post ep. 17 sine auctoris nomine. Item *ἄδηλον* in Plan."

De dittographia illa nihil Finsler, sed vide, quantopere faciat cum Boissonadio cum dicit (Krit. Unters. zur Gesch. der griech. Anth. Zürich 1876 p. 128): „Der Mangel einer Dichterangabe bei Planudes macht das Lemma von A (prioris partis cod. Palatini exaratore) jedesmal verdächtig".—(p. 135): „Wo aber auch Plan. schweigt, da ist sicher das vom Corrector beigebrachte Lemma eine Conjectur".

Itaque cum IX$_{400}$ Palladae nomen sine iusta causa gerat, deque eius tempore nil praeterea habeamus compertum (Iacobs l. l.: In reliquis temporis notae sunt parum expressae) nil obstat quominus eum ante Ausonium ponamus, modo ne nimis longe ab eo distet, nam sine dubio satis recentis aetatis est (cf. A. P. XI$_{384}$). Quod autem Iacobs dicit a Tzetza [1]) eum inter Proclum et Agathiam

[1]) Ad Lycophr. prooe. p. 258. Σιμωνίδης ὁ παλαιὸς οὗ Ἡρόδοτος μέμνηται, Ἀλκαῖος ὁ νέος, ὃς ἦν ἐπὶ Οὐεσπασιανοῦ τοῦ Ῥωμαίου καὶ Τίτου, Ἀθηναῖος, Παλλαδᾶς Ἀγαθίας καὶ ἕτεροι μυρίοι.

nominari, hic ordo temporis rationem non habet accuratam, siquidem Proclus mortuus est anno 485 p. Chr. (cf. Iacobs. anth. Gr. vol. XII p. 944), Palladas et ipsi Iacobsio ante annum 415 videbatur scripsisse.

Nunc audiamus Weigandium (p. 561): „Palladam ut Cycli (Agathiae) poetis innumerarem, animus valde inclinaret, nisi aetas poetae huius sententiae non admodum faceret . . . . Rem autem conficere videtur lemma cod. Pal. ad VII 339: ἄδ. ἐπὶ τίνι τοῦτο γέγραπται, πλὴν ὅτι ἐν τοῖς τοῦ Παλλαδᾶ ἐπιγράμμασιν εὑρέθη, quod ad collectionem Palladae singularem nos adducit“.

Iterum vides eis quae Weigand protulit a nobis fulcrum addi: tametsi de aetate eius secus sensit, rectissime a Cyclo Agathiae eum secrevit.

Non ignoro Heckerum pro anthologio illô Diogeniano Palladae anthologiam ponere (Hecker comm. crit. II. 1852). Cuius sententiae ea quae modo exposuimus, haud male subveniunt; quamquam nil certi in alterutram partem potest effici.

Itaque videtur Ausonius in manibus habuisse coronas Meleagri et Philippi, Stratonis Musam puerilem, anthologion Diogeniani, epigrammatà Palladae — vel potius anthologiam Graecam ex hisce omnibus conflatam.

Qua arte Ausonius in vertendis Graecis usus sit.

Tota fere antiquitate sicubi Graeca in Latinum versa sunt, materiae magis quam formae rationem habitam videmus; Ausonius autem nonnunquàm Graeca ita vertit ut non modo materiam sed etiam formam reddat et paene verbum verbo exprimat. Eius generis est V 11, nisi quod metro coactus credo, ordinem v. 4. mutavit; item e. 20: exemplaris versus alternatim in τρόπαιον — Νέμεσις exeuntes noster imitatur; e. 42, ubi Rufi nomen additum est; e. 82: τὸ φιλεῖν = „hoc quod amare vocant“; e. 83 ordo inversus est; prius epigrammatis 51 distichon, Niobes nomen additum; XXXII vv. 1—8; XXXIII; huc etiam e. 21 pertinet, nam ut quattuor versus e duobus faceret, eo coactus est, quod Latino sermone Graeca participia maiore tantum verborum ambitu exprimi poterant; addidit „collo“ „thesaurique loco“ „qui condiderat“.

Itaque in hisce ipsis videmus Ausonium ab exemplaribus hic illic recedentem; in ceteris, quae liberius expressit, satis multa videmus mutata et addita; atque si eruere conamur quid illis mutationibus secutus sit causa plerumque haud difficile invenitur.

Namque primum quidem id videmus nostrum agere, ut quam maxime sint perspicua omnia et ad intellegendum quam facillima Quo melius id efficiatur, non committit ut lemmate opus sit ad epigr. intellegendum; ideo si necesse videtur Graecum lemma intra ipsum epigrammatis limen recipit. E. gr. in epigrammate A. P. XVI_{192} Niobae nomen nisi in lemmate non legitur, Aus. e. 51_2: „Praxiteli manibus vivo iterum Niobe".

Item e lemmate Graeco A. P. XVI_{174} *Εἰς τὴν ἐν Σπάρτῃ ἔνοπλον Ἀφροδίτην* „Lacedaemone" in Aus. e. 52 inductum est. — Epigrammatum 37 et 38 exemplar A. P. XI_{426} nomen *Ὀπιανός* in lemmate tantum habet. — Adde quod epitaphiis (XVII) nomen herois ipsum semper insertum legitur.

Eadem causa, sc. ut facilius intellegantur, Graecis nonnumquam addit quasi quandam expositionem: velut e 13. prius distichon in exemplari non legitur, in e. 46. item consulto a Graeco recedit; cuius exemplar cum per se insulsum videatur, Ausonius rhetorem inducit quem ineptias illas apta occasione proferentem faciat.

Omnino cavere solet ne nimis incredibile videatur epigramma; procul habet, quae omnino fieri non possint. Itaque e. 56 pastorem non facit buculam Myronis abigentem, sed una cum pascentibus ceteris numerantem, item e. 62 „iam sub vespere" pastorem suam et Myronis buculam confundentem facit Neque alia est causa, cur in e. 68 tam multa mutata sint, vid. p. 35. Idem videmus in Aus. e. 69, etenim omnia quae in huius exemplari minus credibilia sunt, a nostro mitigantur; sic astrologus ille non ipse vim medici patitur sed Marcus iam aegrotans, cui ne ipse quidem haruspex plus sex dies (Gr.: *ἐννέα μῆνας*) superesse dixerat. — Non aliter e. 48 Ausonius non ipsum rhetorem cum statua confundi facit, sed statuam facete eo fingit agnosci, quod ut ille sit saxea.

Aliud genus est eorum, quae Ausonius addit, cum in Graeco eis qui legant ad imaginandum relicta sint. E. gr. e. 55 addit noster

„ferrum Gradivi Martis in arbitrio: qualem igitur scierant domino placuisse Cytheren, talem fecerunt ferrea caela deam"; Gr.: *ὁ σίδηρος ἔξεσεν οἷ' ἂν Ἄρης ἤθελε τὴν Παφίην.* Item e. 70 addit: „iussus transferri e sede vetusta", nempe ne quis de ambiguo efferendi sensu in dubio maneat. Neque aliud est e. 21 „thesaurique loco — at qui condiderat".

Nonnunquam unam eandemque sententiam verbis variari videmus; velut e. 53 a nostro additum est: „dignum habeat se aeterna aeternum forma ministerium. at mihi nullus in hoc usus." e. 50 commoda Socratis copiose exponuntur: „superant mihi cuncta, nudus eram sic sum, nil habui hoc habeo"; e 36 fere eadem sententia ter iteratur, item XVII 33: „veniat ordine quisque suo, nascendi qui lege datus — natu qui prior ille prior"

Sunt etiam quae de suo ad lepores augendos addat velut e. 21 versus alternatim in „aurum — laqueum" desinentes; XVII 29 „non obiit, sed abit, Diogenes cui pera penus"; e. 52 facetum illud „Iudice vel Paride". In e. 93 pro haruspice grandius Iovem Ammonem posuit, in e 20 alioquin ad verbum translato pro „*τοῦ πολέμου*" insignius dixit „vanilocos".

Supra p. 34 suum locum eis tribui epigrammatis quae e Graecis derivata acumine a nostro sint aucta; accedunt ex epitaphiis XVII 2, 3, 4, 8, 9, 12, 22.

Non raro sibi placet noster in proferenda rerum scientia, velut e. 11: „Phidiae qui signum Palladis quique Iovem fecit"; XVII 29 „Clari flagrat qua stella Leonis additus est iustae nunc canis Erigonae". Eodem pertinent XXXII 9–17 et ea quibus XXIX tantopere ampliatum videmus; similia in epitaphiis haud pauca leguntur.

Hisce rebus omnibus fit ut plerumque Ausoniana sint longiora quam Graeca; tamen sunt, in quibus sese arctioribus contineat finibus velut e. 87, 53 (Lais a n u s), 49 (unum e duobus distichis fecit); atque ut in illis non sine magno epigrammatis commodo hoc facit, scite eandem rationem sequitur in e. 71, quia epigramma non fert fabulae loquacitatem.

Nomina personarum quae in exemplaribus Graecis invenit saepe mutavit, credo ut facilius hexametro insererentur; namque saepenumero pro tetrasyllabis et trisyllabis habet disyllaba, velut XVII 33.

Carus: *Ἀνδροτίων*, e. 12. Galla: *Προδίκη*, e. 96 Phegeus: *Ὀνήσιμος*, ibid. Lycus: *Μενεκλῆς*, e. 89 Alcon: *Ἑρμογένης*. (contra e. 69 Diodorus: *Διόφαντος*). Hoc vero inprimis tenendum est, in nullo unquam epigrammate nostrum commisisse, ut aliquis careat nomine. Itaque non modo in omnibus epigrammatis unicuique personae nomen inditum est, sed qui in exemplari *τὶς* vel *ἰατρός κτλ.* appellatur ab Ausonio nomine augetur, cf. e. 42 (*σύ* —) „Rufus"; e. 68 (*τὶς* —) „Achilas"; e. 71 (*ἰατρός* —) „Eunomus"; (*ἀῤῥώστῳ* —) „Languentem Gaium".

Dialogi formam in deliciis habet noster cf. e. 28, 35, 65, 94, 95. Graeca epigrammata secutus eam adhibet in e. 11, 42, 52, XVII$_{69}$, ultro inducit, cum in Graeco exemplari non sit, in e. 39 [1]), 43, 47, 48, 55. Sine dubio ea re vigorem quendam epigrammatis addere volebat. Eodem pertinere videtur, quod eas de quibus agit personas se ipsum facit alloquentem, cf. e. 19: „Meroe tibi, Protesilae tibi" etc; e. 78 „Eune quod — lambis" etc. Item contra exemplar Graecum e. 22 „Excipis . . . veheris, Thrasybule tua" (contra v. 5: „Quem postquam"), e. 50 „Effigiem rexCroese tuam" (v. 6: „rex ait").

Contra e. 13 Ausonius in hac quidem re exemplar non est imitatus (cf. A. P. IX 18); qua de causa hic a Graeco secesserit, non perspicuum est, nisi quod omnino non semper singulas exemplaris elegantias exprimere curat. Velut e. 52 Graecum *ἡ δὲ ἁπαλὸν γελάσασα* omittit; e. 55 *Ἁ Κύπρις τὰν Κύπριν* debilitat in „Vera Venus cum vidit Cyprida", *φεῦ φεῦ* omittit et vanum supplementum „puto" inserit [2]); e. 68 *εἰκόνα τὴν κοινὴν οὐκ ἐδάκρυσε βίου — κωφὸν μὲν δοκέοντα* non exprimit (vituperavit iam Huschke Anal crit. in anth. Gr. p. 141). Quo fit ut e. 22 Duebner haud feliciter versum esse dicat; alia ipsi quoque suis locis notavimus.

Iam si in universum sententiam ferre licet, nusquam tam accurate Ausonius Graeca vertit, ut aut ipse ad Graeca exemplaria cor-

---

[1]) E. 39 melius distingui puto: ‚Tris uno in lecto — committunt'. — „Quattuor esse recr". — ‚Falleris etc'.

[2]) Si quis cum Benndorfio (de epigr. anth. quae ad art. sp. p. 23 ann.) Graecum „inserta voce φεῦ, adeo iterata misere languere" statuere malit, Ausonius etiam laude dignus videatur.

rigi aut Graeca secundum Ausonium emendari possint [1]). (Accursius: „feliciorem plerumque metaphrasten Ausonium quam interpretem fideliorem agnoscas"). Ideo cavendum ne Duebnerum audiamus saepiuscule dicentem: «hoc vel huic simile epigr. Ausonius expressit». Cf. Peiper l. l. p. 237, qui addit nullo modo fingi posse tot epigrammata quae Ausonius in eis quae tum erant anthologiis invenerit, aetatem non tulisse.

Neque semper felix est in vertendo, non modo quod Graecas elegantias nonnunquam non exprimit, sed etiam quod loquacitate sua brevitatem concinnitatemque Graecam hic illic plane delevit.

Sunt vero quae Graecis non modo paria, immo iisdem meliora videantur, aut ipsa vertendi arte insignita aut explicationibus, acuminibus, leporibus aucta elegantissimis, atque haec quidem tam crebra sunt ut his multo maiorem laudem quam illis vituperium poeta commeruisse videatur [2]) Omnino si recte epigrammata Graeca comparantur cum gemmis artificiose caelatis, de Ausonio imitatore qui iudicare vult respiciendum est, quanto crassiore in lapide subtiles illae Graecorum insculpendae atque elaborandae fuerint elegantiae.

Praeclare igitur Peiper p. 237: «Wenn aber der Kritiker beim Vergleichen mit dem Original den Dichter tadelt, so trifft dieser Tadel meist nicht die Person des Dichters, sondern den Charakter des Volks und der Zeit, aus denen heraus er dachte und dichtete».

---

[1]) Qua de causa non bene puto Benndorfium (l. l. p. 32) A. P. XVI 263 Καί με λίθον propter nostri „quondam" in „Πρίν με λ." mutasse (cf. A. P. IX 334, XIV 54, XVI 252, XVI 707) neque magis ex e. 22 licet concludere Ausonium in epigrammate Graeco legisse Τῷ Πιτάνῳ.

[2]) Vinetus: „ut sit luce clarius nostrum in plerisque non interpretis sed imitatoris conditorisque perfunctum muniere, multaque aut aptius comminuisse aut locupletius communivisse excoluisseque et veluti coloribus aspersisse".

I.

Index poetarum Graecorum.

II.

Index epigrammaticorum.

Theses.

I.

Aus. XXVI 2 $_{52}$

tris coit in partes numerus perfectus ut idem
congrege ter terno per ter tria dissoluatur,

Aus. E. XVIII $_{19}$

quot (= 6) telios primus numerus solusque probatur.

Numerus perfectus vel telios est senarius. cf. Censor. de die nat. XI $_4$ nec immerito numerus senarius fundamentum gignendi est nam eum telium Graeci, nos autem perfectum vocamus, quod eius partes tres, sexta et tertia et dimidia, id est I et II et III eundem ipsum perficiunt.

Cadunt quae Hultsch de loc. Aus. XXVI 2 $_{52}$ disserit in ep. ad Schenkelium data, edita ab illo in indice s. v. „numerus perfectus". Malim sic explicare: „tris coit in partes (1 et 2 et 3) numerus perfectus (6), ut idem congrege ter terno (1 + 2 + 3) per ter tria (1 × 2 × 3) dissoluatur $\left(\frac{6}{1 \times 2 \times 3} = 1\right)$.

II.

Germ. Progn. fr. I $_{55}$

Mercurius, binos Gradivus perficit orbes.

Lege bimos. (cf. Hygini poet. astr. 120 Bunte: Martis stella omnia pervolat signa secedens a primo signo non longius biennio; scholl. Sang. Germ. p. 227 Breysig: Martis stella duobus annis signiferi ambitum lustrare dicitur).

III.

Aus E. VII 2 11

quotque (= 30) annis agit sua saecula feton.

Scaliger «Phaenon» recte sine dubio, quamquam Phaenon et Phaethon saepe inter se confunduntur, cf. scholl. Basil. Germ. Ar. p. 102 Breysig: «Iovis est stella Phaenon: secundus P h a e t h o n, qui cognominatus dicitur ab Solis filio Phaethonte; h a n c stellam quidam Saturni dicunt»; eiusd. scholl. Sang. p. 227 Breysig: «summum igitur planetarum Saturni sidus est qui Graece Phaethon dicitur, xxx annis zodiacum peragens».

Locus Aus. fortasse originem duxit e Cic. de deorum nat. II 20 52 «ea quae Saturni stella dicitur *Φαίνων*que a Graecis nominatur xxx fere annis cursum suum conficit».

IV.

Arist. Eqq. 130—133 sic divido cum cod. Rav.

Οἰκ. Α.

. . . .

ὃς πρῶτος ἕξει τῆς πόλεως τὰ πράγματα·
εἷς οὑτοσὶ πώλης.

Οἰκ. Β.

τί τοὐντεῦθεν; λέγε.

Οἰκ. Α.

μετὰ τοῦτον αὖθις προβατοπώλης δεύτερος·
δύο τώδε πώλω.

Οἰκ. Β.

καὶ τί τόνδε χρὴ παθεῖν;

V.

Das Studium der Lautphysiologie ist für die Erlernung einer fremden lebenden Sprache nicht minder wichtig als der Aufenthalt in dem betreffenden Lande.

Vita.

Natus sum Ferdinand Friedrich Simon Stahl Lubecae anno h. s. LX patre Ewald matre Adolphine de gente Jaacks; fidei addictus sum evangelicae.

Elementa doctus in ludis privatis anno 1872 receptus sum in numerum discipulorum gymnasii, quod tum Wandsbecae initium cepit auspiciis viri doctissimi H. Klapp, quo directore etiamnunc floret vigetque.

Anno 1880 maturitatis testimonium nactus Kiliam me contuli ibique hucusque rebus philologicis studui, nisi quod duo semestria Francofurti a M. praeceptoris munere functus sum, duo Berolini studiis operam dedi.

Scholis interfui vv. dd. Blass Dilthey Erdmann Foerster Forchhammer Kirchhoff Krohn Moeller Luebbert Paulssen Pfeiffer Pietsch Pischel Schmidt Schmoller Vahlen Vogt, quibus omnibus magnam habeo gratiam semperque habebo, maximam vero Richardo Foerstero, qui neque aegrotanti mihi solacio neque laboranti consilio auxiliove unquam defuit.